Q
b: 28
25

H·H·H·k. 8.

NOMOLOGIA,

QVA ELOQVENDI AC DISSERENDI RATIO AD VSVM FORENſem ciuiliúmque cauſarum procurationem, pergrata ſtudioſorum omnium vtilitate, accommodatur:

IACOBO OMPHALIO
Iuriſ. Authore.

A P. Iuſto Gaillardo in Senatu Aduocato recognita, & Scholiis cum præfatione de vero Dialectices vſu locupletior reddita.

ALESANDRINA

PARISIIS,
Apud Gulielmum Iulianum, ſub ſigno Amicitiæ, prope Collegium Cameracenſe.

1579.

Vr

P. IVSTI GAILLARDI IN SENATV ADVOCATI, DE *corrupta multorum docendæ Dialectices conſuetudine præfatio: de huius artis vtilitate, vſu ac ſtudio cum omnibus diſciplinis, & maximè cum Iuriſprudentia coniungendo:*

Ad Laurentium Fizium Iuris ſtudioſum.

NOſtrorum hominum, in percipiendis tractandíſque diſciplinis imprudentiam ſatis mirari non poſſum (Fizi ſtudioſiſſime) qui, vt cæteras omittam, Dialecticam veritatis inquirendæ methodum & viá omnino ſpernunt: aut in ea perdiſcenda eius tantùm vmbram fal-

Incorrupte Dialecticæ commendatio.

Plat. in Phileb. Phæd. et alibi.

Ariſt. 1. Top. c. 2.

Cic. in Top. par. Orat. Brut. 2. de Orat. 3. ad Heren. Luc.

ſámque imaginem comprehēdere videntur: quæ, cùm ſit clariſſima lampas cæteris artibus prælucens, non eſt a ſtudioſis contemnenda, aut eius vera intelligentia, in vanis & futilibus argutiis collocanda. Dialecticam itaque cùm dico, eruditam, natiuam, grauem, amantem veritatis & incorruptam diſſerendi ſubtilitatem intelligo: non ſophiſticen, ieiunam illam quidem & aridam, & nullis exemplis ex optimis quibúſque authoribus deſumptis illuſtratam, quæ multis modis pernicioſa eſt. Corrumpit enim iudicia: abducit animos ab amore & ſtudio veritatis: aſſuefacit ingenia, vt ament monſtroſas opiniones: vt non explicare res ſed inuoluere ſtudeant. Sobriū Dialectices ſtudium adiuuat naturæ vim, immodicum officit, vt a magno illo

Eruditiſſ. quorumdam hominū de multis Dialecticæ doctoribus iudicium.

Eraſmo [a] iamiam fuit obſeruatũ, qui ſcribit nullos animaduertiſſe ad dicendum, aut de grauī aliqua quæſtione ad diſſerendum minus aptos, quàm eos qui Dialectica præſertim Ariſtotelea ſpinoſa illa ſuperſtitioſè didicerant. Eadem in ſentẽtia fuit Rodolphus ille Phriſius [b] vir multiplici ingenuarum artium cognitione clariſſimus, de ſtudiorũ omniũ coluuie & ſingularũ artiũ, prȩſertim verò Dialecti ces perturbatione cõquerens. Ait enim huius artis doctores (qui illā vel ſolā vt maximè omniũ artium quas liberales numerant, vidẽtur præ ſe ferre) interrogatos ad quem vſum diſcẽdam Dialecticā putẽt; cùm de genere non ſit principum artium quæ idcirco ſint diſcendæ vt ſciantur, ſed quæ vſibus aliarum ſit addicta: Iſtam verò miſerā & cauilloſā loquẽdi ſolicitudi-

[a] Eraſ. lib. 2. Eccleſ.

[b] Rodol. de inuẽt. Dialect. lib. 2. c. 2.

nem quam docent, non modo reliquis artibus diſcendis non prodeſſe, ſed etiam obeſſe plurimùm: hos, inquam, profeſſores nihil aliud reſponſuros, ſi liberiùs verum fateri velint, quàm pleráq; in dialecticis præcipi, quæ ad percipiẽdas reliquas artes minimè proſint: ſed ideo docere illa quęque, quia quiſque didicerit, & quia doceãt omnes. Quoties audiuimus nonnullos, qui magni apud multos habebãtur, ſtudio contradicendi vel potius ingenij oſtentandi gloria concitatos, impudẽtiſſimè cómotã bile debacchantes contra viros vt & politioris literaturæ, ita & ſolidioris philoſophiæ peritiſſimos (vnius nomen ſua admirabili eloquentia illuſtrius & notius eſt, quàm vt a me nominari debeat). ſcholas omnes philoſophicas & præſertim Logicas tur-

Ridicula multorũ Dialectices profeſſorũ reſponſio.

Scholas oẽs præſertim Logicas tur.

piſſimis fœdiſſimiſque erroribus & ſophiſmatis animo inuictiſſimo perpurgare cupientes, παντολόγιας, falſa & inutilia præcepta reiicientes, eadem imprudentiſſima (ne dicam impudentiſſima & peruerſiſſima) oratione abutentes? Neque enim illi nouam, vt aduerſarij calumniantur, ſed potius veterem & veram iampridem obſoletam Dialectices docendi ſcribendíque rationem, & ab illis lõgo temporis interuallo repetitam ac renouatam ſequntur & vſurpant. Cum enim Ariſtoteles ipſe, c matutinis horis præcepta traderet, eadẽ pomeridianis de ambulationibus variis exemplis, híſque ex hiſtoriographis, poëtis & cæteris, ſcientiæ etiã artis mechanicæ magiſtris illuſtrabat. Et cum duplex error in ſcholas iampridem irrepſiſſet, non ſolùm quòd philo-

piſſimis erroribus et ſophiſmatis, multi perpurgare tantarũt.

c Themi. & ſimplicius in primũ de Nat.

Duplex error irrepſit in ſcholas.

ſophi qui tum erant eloquentiam ita fugerãt, quaſi rẽ a philoſophia prorſus abhorrentem: ſed etiam quòd totam philoſophiam & imprimis Dialecticam, vanis & inutilibus ſcholaſticarum altercationum argutiis planè ſophiſticã effecerant: illi magno Reip. ſtudio, certamen ſibi quidẽ, vt ipſi præſagiebant, periculoſum & graue, ſed tamẽ publicis ſtudiis ſalutare, cõtra hæc vitia ſuſceperũt. Ioac. Fortius [c] omnium diſciplinarũ liberaliũ peritiſſimus Rodolphũ ſequutus mirum in modũ conqueritur, multa Adoleſcentum & virorum millia, præceptis inutilibus, ſophiſticis & nugis occupari: parentéſque parũ ſcire quibus rebus liberi ſui per tot annos dant operã. Domi, inquit, magno ſudore ac parſimonia pecuniã quęrunt, qua chariſſimos filios alãt: & hi homines,

c Ioach. Fortius, lib. de ratione ſtudij, & in poſtrema edit. dial.

hoc eſt falſi doctores præſtigiis ſuis, per duos aut tres perpetuos annos miſeram iuuentutem detinent, quum alioqui ſimplicē Dialecticen intra totidē mēnſes commodiſſimè poſſint tradere. Deinde ſubiūgit: Qua de cauſa ergo tot adoleſcentes horum ſophiſmata cupiunt perdiſcere? Certè non cupiunt, ſed coguntur: quia neminē inueniunt qui verā artem doceat. Idē ſcribit, ī multis Academiis intra vnius mēſis ſpatiū bis Dialecticē prælegiſſe: & re ipſa cōperiſſe tātùm profeciſſe auditores, vt nihil amplius deſiderarint, etiā eos qui ante eius aduentū nihil vnquā in Dialectica viderāt. Hortabatur auditores, inter docendum, vt ea quæ audierant a lectione conferrent, inter ſe, & firmarēt exercitio. Dialecticam totā plus ſexagies ſe prælegiſſe affirmat: & adhuc plus

Pauci veram artē Dialectices docent.

centies prælecturum ſi ei diutius viuere contigiſſet. Id autem ait, ne quis iudicium ſuum, de præſtigiatoribus iſtis velut parum prudentis aut non ſatis exercitati aſpernetur. Sed I. Ludouici Viuis [d] viri omnium doctiſſimorum hominũ calculo eruditiſſimi iudicium audiamus. Is, de corruptis artib⁹ verba faciẽs, & ſi Ariſtotelem in arte Dialectices tradenda Platoni & cæteris præferat, ita tamen de libris Logicis pronunciat: Cæterũ, quod liceat bona cũ venia dicere, præterquã quòd moro ſuo obſcurè & prolixè, etiã parum aptè ad vſum vel inueniẽdi argumẽta, vel iudicandi argumẽtationes. Nemo eſt enim qui quamtũlibet diligẽter lecta & excuſſa Ariſtotelis Logica, ſẽtiat ſe inſtrumentũ habere quo, in aliqua ad diſſerendũ materia argumẽta in prõptu excogitet,

d Io. Ludouicus Viues, de corruptis artib. lib. 3. & de tradendis diſciplinis lib. 4.

hæc Viues. Addo quod Ariſtotelẽ ſummo ingenio, doctrina, eloquẽtia, rerum peritia prudentiáque, & vt ſemel dicã, ſummum hominẽ, ſed hominem tamen fuiſſe putãdum eſt: hoc eſt, quem & latere aliquid potuerit, quique vt nõ omnia primus inuenerit, vt teſtatur Agricola poſt Laërtiũ,[e] ita aliis poſt ſe inuenienda aliqua reliquerit: qui etiam non omnia quæ inuenerat credidit in vulgus prodẽda: & non nunquàm fortaſſe contradicendi ſtudio, quo maxima ferè tentantur ingenia, non tã quid ipſe ſentiret, quàm contrà quod alius ſenſiſſet dicendum putaret: qua ſanè libidine, à Platone multis locis deſciuit. Plurima ille rectè: ſed & alius aliquid non malè. Quò iuſtiorem veniam illis eſſe oportet, ſi qui fuerunt qui putarent, non vtique illi tanquam

Dio. Laert. lib. 1. 3.7.

Euſe. lib. 11. de præpar. Euãgel.

Rodolp. lib. 1. c. 4.

Aelia. de varia hiſtoria lib. 3 & 4.

Non eſt Ariſtoteli adhæreſcẽdum tanquam ſcopulo.

ſcopulo vſquequaque adhereſcẽdum eſſe: neque de ſuis deſperarunt ingeniis: cùm ingrati poſſit & iniquè de parente omnium natura exiſtimantis videri, credere ipſam omnia ſua in illo partu effundẽtem munera, reliquæ poſteritati humani generis in omne æuum ſterilem effœtámq; manere voluiſſe. Quid duo inſignes noſtræ ætatis iuriſconſulti. I. Oldendorpius & F. Duarenus, viri ſine controuerſia omni diſciplinarum genere ornatiſſimi, de ratione docendi a philoſophiæ profeſſoribus obſeruata? Hic de corrupta iuris interpretandi conſuetudine diſputans ſic ſcribit: *f* Breui futurum auguror, vt fucus ille quem pauci tantùm hodie perſpiciunt, non minus innoteſcat hominibus, quàm Ariſtotelicæ Philoſophiæ profeſſorum im-

f Duarenus in Epiſt. de ratione ſtud. leg.

poſtura, noſtro ſeculo omnibus patefacta atque explorata eſt. Eò enim iam euaſerunt iſtorum præſtigiæ, vt nulla diſſimulatione tegi diu poſſint, quas ne ipſi quidem omnino probant: ſed eos id piget confiteri, tum quia ſeram eſſe pœnitentiam credant: tũ etiã quia, niſi omnia perturbẽt & de induſtria nebulas offũdẽtes artem reddãt obſcuriorẽ, verẽtur ne in tenui & expoſita omnibus ſcientia verſari, nec tanta mercede quanta plerique eorũ docent, id eſt ampliſſima digni videãtur. Ille verò, recitata vulgari & vera Dialectices partitione in inuẽtionẽ & iudicium quæ extat apud Cic. vbi reprehẽdũtur Stoici qui poſteriorẽ quidem partẽ diligenter perſecuti fuerant, priorem autẽ natura & vſu potiorem totã reliquerant, ſubiungit: nos hodie Stoicorũ er-

g I. Oldẽdorpius, in Topic. Integra dialectica partitio, in inuent & iudicium ſiue diſpoſitionem. Cic. in Topic. fab. lib. 5.

rores ſequimur: quādoquidē adoleſcentes in Dialecticis, hoc eſt in iudicio ſeu argumentatione (ſic enim dialectica & logica pręcipuè ex Syllogiſmi & argumentationis parte nominata ſunt) atque philoſophicis diſputationibus mediocriter exercemus: topicem autem, in diſciplina ciuili & verum eius vſum omittimus. Qui tantorum hominum ſcripta vel non legerunt, vel ſe non legiſſe diſſimulant, vnum ſolum ex noſtris parum iuſtè (pace eorum dixerim) accuſant, quòd dialecticam & reliquam Philoſophiam, Ariſtotelémque ipſum peruerterit: imò, ex Ariſtotelis (de quo honorificè & ſentit & loquitur, & cuius admirabilem doctrinam imprimis admiratur) agro dialectico fertiliſſimo, ſpinas, rubos, ſentes, tribulos, & eiuſmodi noxias plan-

tas eradicare atque prorſus euellere tentauit: artes ipſas, variis exemplis ex melioris notæ ſcriptoribus depromptis illuſtrauit: vſumque artium, hoc optimo docendi genere & omnium vtiliſſimo docere voluit. Quaſi verò de⁹ aliquis fuerit Ariſtoteles, qui errare nõ potuerit: qui ſua ita perfecta & omnibus numeris abſoluta crediderit, vt vel a ſe vel ab aliis corrigi noluerit: quod vel cogitare ineptiſſimum eſt) qui, Platoni diuino præceptori veriſſima ſæpe & ſanctiſsima dicenti nõ frequẽter cõtradixerit. Plato *h* docuerat mundum a Deo conditum, quæ præcipua eſt Dei Opt. max. gloria: at Ariſtoteles id falſum putat: ei⁹ enim principium contrarium eſt. *i* Plato prouidentia dei omnipotẽtis mundum regi & gubernari dixit; at Ariſtoteles fato, vt Cicero

Artes exemplis ſunt illuſtrandæ.

Ariſtoteles Platoni veriſſima et ſanctiſſima dicenti ſæpe cõtradixit.

h Plat. in Tim.

i Ariſt. 1. de natura cap. 3. & paſſim.

teſtis eſt, ſententia repugnat: Plato [k] putauit animam immortalẽ eſſe, idque multis rationibus & argumentis confirmauit: at ridiculum Platonem Ariſtotelei [l] exiſtimant: quoniam (quod etiam ſubtiles eius interpretes confirmant) Ariſtoteli immortalitas animę diſplicuit. Plato [m] hominis fœlicitatem a Deo accipi & ad Deum referri docuit: at Ariſtotelei quoniam Ariſtoteles [n] Platonis illam ſententiam captioſè & impiè calumniatus eſt, & principium & finem fœlicitatis humanæ Deo detrahent, hominique non minus arroganter quàm inſipienter attribuent. Nihil neceſſe eſt infinitos humanarum opinionum errores commemorare: quæ non alio quàm ſtultæ credulitatis principio innituntur. Qui ita vel Ariſtotelis, vel alius cuiuſlibet autho-

k Plat. in phædone & phæd. Cicer. 1. Tuſc. in Cat.

l Macro. 2. comẽt. in ſomni Scipioni cap. 14. 15. 16. 17.

m Plat. in Tim. et Phæd.

n Ariſt. 1 de morib. cap. 6.

authoritati ſunt addicti o & quodammodo mancipati, hi ignorant ſe homines eſſe, & iudicio nullo rationis vtuntur. Non enim tam authores in diſcendo & diſputando quàm rationis momenta quærenda ſunt, vt Cicero p verè & grauiter cenſuit. Quinetiam, obeſt his plerumque qui diſcere volunt, authoritas eorum qui ſe docere profitentur: deſinunt enim iudicium ſuum adhibere: id habent ratum, quòd ab eo quem probant iudicatum vident. Nec verò probare ſoleo, inquit, q quod de Pytagoreis accepimus: quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cum ex his quæretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, ἀυτὸς ἔφα, ipſe dixit, ipſe autem erat Pytagoras. Eiuſdem erroris vanitas

o Fort. lib. de ratione ſtudij.

p Cic. lib. 1. de nat. Deorũ.

q Lib. 1. de nat. Deorũ.

in multis eſt, qui tantùm tribuunt ſuo magiſtro, vt eum deum quendam exiſtiment: & Ariſtoteli alij repugnare idem propemodum eſſe credant, quòd naturæ, veritati, Deo deniq; ipſi repugnare. Notum eſt & præclarũ illud Horatij [r] conſilium atque inſtitutum:

[r] *Horat. lib. 1. Epiſt.*

Præclarum Horat. cõſilium.

Quid verum, atque decens curo & rogo, & omnis in hoc ſum:
Condo, & compono, quæ mox depromere poſſim,
Ac ne forte roges quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magiſtri,
Quò me cunque rapit tẽpeſtas deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & verſor ciuilibus vndis
Virtutis veræ cuſtos, rigidúſque ſatelles:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor:
Et mihi res, non me rebus, ſubmittere conor.

Academicorum propria libertas nullius [ſ] hominis legib⁹ ac

Hæc eſt Academicorum id eſt verorum hominũ (vtrũque enim tantumdem valere exiſtimant viri quidam doctiſſimi) propria & germana libertas [ſ], nulli⁹ hominis legib⁹ & inſtitutis in Philoſophia

neceſſariò parere: modeſtia, in rebus incertis iudicium ſuum nullũ interponere: prudentia, cauſas rerum cõferre, & quid in quamque ſententiam dici poſſit exprimere, nulla adhibita ſua authoritate: ſapientia, vnicam veritatẽ in omni vita tanquam deam colere, eãque pluris quàm omnia philoſophorum teſtimonia æſtimare. Sed noſtrorum authorum præclaras de hac quæſtione ſententias non omittam: atque illam imprimis, quam, cùm iuris principia tractaremus tibi propoſuiſſe memini, memoria digniſſimam in mediũ adferam; qua inter res diuinas & humanas diſcrimen illud vel ſolũ vel præcipuum paucis his verbis oſtẽditur: Sed quia diuinæ quidẽ res perfectiſſimæ ſunt, humani verò iuris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt in ea

inſtitutis in Philoſophia neceſſariò parere.

l. 2. §. ſed quia deinde ut . in re ennul. C.

quod perpetuò ſtare poſſit (multas enim formas edere natura nouas deproperat) non deſperamus quędā poſtea emergi negotia, quę adhuc legū laqueis non ſunt enodata. Audíſne res diuinas perfectiſſimas, humanas verò, cōtra? rurſus eodē loco: ſi quid in tāta legū compoſitione, quæ ab immēſo librorū numero collecta eſt, ſimile forſitā rarò iuueniatur, nemo hoc vituperādum exiſtimet: ſed primùm quidē imbecillitati humanę (quę naturaliter ineſt) hoc adſcribat: quia omniū habere memoriā & penit⁹ in nullo peccare diuinitatis magis quàm mortalitatis eſt: quod & a maioribus dictū eſt. Vidéſne diuinitati diuinit⁹ tribui in nullo peccare? quid alia quæ alibi extat ſentētia clarius? ſed neq; ex multitudine authorū quod me li⁹ & ęquius eſt iudicatote: cū poſſit

ſ d. l. 2. § ſi quid

l. 1. § ſed neq; de vet. iu. enucl. C.

vnius forſan & deterioris ſententia & multos & maiores & aliqua in parte ſuperare. Et ideo, ea quæ in notis Æmilij Papiniani, ex Vlpiano & Paulo, nec non & Martiano adſcripta ſunt quę antea nullā vim propter honorē ſplēdidiſſimi Papiniani obtinebāt, non ſtatim reſpuere: ſed ſi quid ex his ad repletionem ſummi ingenij Papiniani laborum, vel interpretationē, neceſſariū eſſe perſpexeritis, & hoc ponere legis vicē obtinēs nō moremini. Obſeruáſne Imperatorē doctiſſimorū hominū conſilio (vt credere par eſt) nolle ex authorū numero bonū & æquū iudicari? Ponderādę enim nō numerādę ſunt ſentētię in iis quę deliberationē a ratione petēdā requirūt. Idē circa interpretationē legū ex iure & ęquitatę promēdā ſentire oportet, nā q dicūt ſimpliciter cōmunē

Bonū & æquū non eſt ex authorū numero diiudicādū.

opinionẽ in ſcholis & in iudicio ſemper præferendam eſſe, hi non modo falſum ſed etiam in Repub. pernicioſum dogma ſpargunt. Si enim communis ſententia interpretum fuerit iuri & æquitati cõſentanea obtinebit: nõ quia communis, ſed quia vera & rationi cõſentanea. Sin autem repugnet veritati, omnibus modis erit reiiciẽda. Nonne vnus Gamaliel v auditus eſt in conſilio? Prælatúſne ſolus Paphũtius x toti Nicenæ conuocatæ multitudini? Quid celſus iuriſconſultus? y Sed etiam ſi magnopere, inquit, me Tuberonis & ratio & authoritas mouet, non tamen a Seruio diſſentio. Illud ne ipſum eſt quod vſurpauit Ariſtoteles a præceptore diſſentiens & dicens amicum quidem Platonẽ ſed magis amicam veritatẽ? Quis finis, quæſo, cõſiliorum omnium

Cõmuni interpretum opinioni quatenus ſtãdum.

v *Art.* 5.

x *Can. Nicæna ſynodus* 31. *diſt.*

y *l. Labeo ait* 7. *de ſuppell. leg. d.* ζ 1. *de moribus cap.* 6.

Quis finis conſiliorum.

niſi vt ſuccurratur humanæ cæcitatis inconſtantiæ & imbecillitati? Nã homines a ſupremo ad infimum vſque ſubiecti ſunt erroribus,[a] (omnis enim homo mendax vt cecinit diuinus ille vates) & quantò quis hanc errandi fragilitatem magis agnoſcit, tantò eſt prudentior ſcilicet euitans erroris effectum & imminẽs periculum. Stulti verò & arrogantes nolunt agnoſcere, & nonnunquam diſſimulant errorem: ideo non admittunt vera conſilia, magno Reipublicæ, tandemque ſuo etiam malo. Sunt enim, inquit Apoſtolus,[c] multi intractabiles & vaniloqui. Confide deo, inquit Salomõ,[d] & prudẽtię tuę ne innitaris. Via ſtulti recta eſt in oculis ſuis: at ſapiẽs conſilium audit. Eleganter Tertulianus: Miramini hominem errare potuiſſe in lege condenda aut re-

a Rom. 4. eph. 2.
b Pſal. 115.
c Ad Tit. 1.
d Prouerb. 3. et 12.
e Ad procères imperij.

ſipuiſſe in reprobanda? Nonne & ipſius Lycurgi leges a Lacedemoniis emendatæ, tantum doloris authori ſuo inuſſerunt, vt in ſeceſſu inedia de ſe ipſo iudicarit? nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſquallentem ſyluam legum, nouis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis? Iuſtinianus *f* item: noſtras leges emendare non piget, vbique vtilitatem ſubiectis inuenire volentes. D. denique Auguſtinus: *g* Ecce, in conſpectu Dei & veſtro muto conſilium. Et alibi: negare non poſſum nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quę poſſunt nullo iudicio, & nulla temeritate culpari. Idem author alio loco, *i* poſtquam

f Nouel vt frat. ſeij. cōgl. 128.
g Can. certè 12. quæſt. 1. can. vides 23. queſt. 6 can. vet. 26. quæſt. 4.
h Can. negare. diſt. 9.
i Can. ego ſolis. can. neque quorumlibet diſputationes, can. noli meis literis diſt. 9.

profeſſus eſt ſe hunc timorem ho norémque ſolis ſcriptoribus qui Canonici appellantur, deferre, ita vt nullum eorum ſcribendo erraſſe credat, ſubiungit: alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate quantá-ve doctrina polleant: non ideo verum putem, quia ipſi ita cenſuerunt; ſed quia mihi per alios authores vel Canonicos vel probabiles rationes, quod a verò non abhorret, perſuadere potuerunt. Alio rurſus loco: talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum. Quinimò, diuius ipſe Petrus paſſus eſt libenter emendari errorem ſuum a d. Paulo coram omnibus. In ſumma, voluit clementiſſimus deus ab initio vniuerſum mundum cõtinuis erroribus

Can. Neque diſt. 9.

& conciliorum emendationibus exercere: quo magis fragilitatem noſtram agnoſcentes, gloriam illius & æternam vitã ſedulò quæramus. Solius itaque eſt ſacræ paginæ, correctorum manus ac induſtriam refugere. Equidem ſic exiſtimo nullam adhuc extare artem aut librum, ab humano ingenio confectum, in quo non multa deſiderentur. Quamobrem, magna eſt illis habenda gratia, (tantum abeſt vt omni ludibrij & cõuitij genere affici debeant) qui nõ corrumpũt, ſed bono animo peruerſa corrigunt: ſcabra & impolita ad amuſſim dolãt atque perpoliunt: artium denique omniũ ſubtilitatem eatenus probant, quoad vſus popularis & ratio humana poſtulat. Imò facilè mihi perſuaſerim Platones ipſos, Ariſtoteles, Cicerones, Fabios & ſimiles ma-

Solæ ſacræ literæ errorum expertes.

Artium ſubtilitas quatenus probãda.

iorum gentium ſcriptores, quaſi ſemideos & eloquẽtiæ principes, maximas illis gratias acturos ſi inter viuos agerent. Quod, quò facilius intelligi poſſit, finge mecũ aliquem iſtorum quos nominaui ab inferis reuocatũ in medio noſtrûm conſiſtere, & interrogatum num quæ toto vitæ curſu peritè ſcripſerit ac ſapienter, etiam poſteriorum iudicium ac induſtriam requirere? Eum certè reſponſurũ puto, ſe Deo immortali mirificas agere gratias, quod ſua ſcripta in doctorum hominum manus inciderint, qui, quæ prolixa ſunt amputarent: quæ manca reſarcirent: quæ corrupta reſtituerent. Hæc eò a me dicta ſunt, vt intelligant iuuenes non ſolùm veterum cuiuſcunque[l] facultatis & authoritatis ſint, ſed etiam nonnullorum recentiorum (qui Io. Carmertis

l In vita ſolij. Eraſ. Ciceroniano. Viues, lib. 1. de Corrup. art. & paßim.

viri grauiſſimi & multorum teſtimonio,ſunt cũ illis meritò conferenda) ſcripta, pari contentione & animi alacritate legẽda, & fortaſſis maiori cum fructu: quod ſe ſe noſtris temporibus noſtríſque moribus informandis prudenter accomodent. Sed neſcio quomodo plerique errare malunt, inquit Tullius,eamque ſentẽtiam,quam vel ſemel adamarunt pugnaciſſimè defendere, quàm quid conſtantiſſimè dicatur exquirere. Hęc de corrupto multorum de Dialectica iudicio: nunc, de eius vtilitate & vero vſu dicamus. Quàm autem neceſſaria ſit omnibus, maximè verò iuris ſtudioſis Dialectices (de qua agimus) cognitio, facilè cùm ex multis maxima authoritate ſcriptoribus, tum ex Cic. ⁿ optimo omnium artium artifice elici cognoſcique poteſt:

m In. cir.

Quam neceſſaria ſit omnibus, maximè iuris ſtudioſis dialectices cognitio.

n In bru.

qui, de iureconſultis verba faciẽs, Seruiũ Sulpitium cęteris præpoſuit: quod huius artis eſſet periti ſſimus. Sic enim ait: ſic exiſtimo, Brute, iuris ciuilis magnum vſum & apud Scæuolam & apud alios fuiſſe, artem in hoc vno Sulpitio (nihil mirum ſi hic in definitione tutelę citetur ab Vlpiano o) quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ docet rem vniuerſam tribuere in parteis: latentem explicare definiendo: obſcuram explanare interpretãdo: ambiguam videre, deinde diſtinguere: poſtremò habere regulam qua vera & falſa diiudicarentur: & quę quibus propoſitis eſſent quęque nõ eſſent conſequẽtia. p Quid quæris? lucẽ cęterarũ diſciplinarũ apellat Dialecticá, vt Plato deã & artẽ dandi & accipiendi ſermones

o l. 1. de Tut. d.

p dialectica donũ dei etiam dicitur a Plat. in phil.

δεῖναι καὶ ἀποδεῖξαι λόγους. Quia in re quanta ſit vtilitas experiētia mõſtrat. Efficit enim primùm, vt res omnes aptè definire & diuidere poſſis, vt non ſit opus multorum authorum deſcriptiones, quę plerumque ineptæ ſunt, tanquam oracula quædam ſequi: tum vt omnes orationis partes cohereant: denique, præcipuè confert ad copiam; quod vulg⁹ eorum qui humaniores literas profitentur non intelligit. Et cùm ſit ars ſeu via rectè, ordine, & perſpicuè docendi: quod fit rectè definiendo, diuidēdo, argumenta vera connectendo & malè coherentia ſeu falſa retexendo & refutando, ſobriè tradatur: & adſuefiat adoleſcentia ad ſimplicem veritatis explicationē, non ad ſtudium cauillandi, aut ad ſycophantiam. longè enim aliud ſignificant vt Philippus eruditè

Dialecticæ vtilitas.

docet, altercari & rixari quã diſputare & diſſerere, quod eſt μετα-φόρικος in colloquio cũ altero collatis argumentis placidè aliquid quęrere ſeu ordine explicare: ſũtque honeſtiſſimæ rei appellationes honeſtæ & dulces. Quod autem latinis eſt diſſero ſeu ratiocinor, aut diſſerere & ratiocinari, id Græcis eſt διαλέγεσθαι καὶ λογίζεσθαι. Vtrumque enim eſt idem Platoni q quod ratione vti. Inde nomen διαλεκτικη generaliter a Platone r & Ariſtotele ſ ſumptum complectẽs totam rationis vim & facultatem. Et hac eadem generali ſignificatione Tullius t & Quintilianus v dialecticam & logicam dixerunt. Quare, Græci pariter & Latini vocabula dialecticę & logicæ generaliter acceperunt: λογίζεσθαι magis ad numerum refertur vnde λογισμος & συλλογισμος pro cõ-

Aliud ſignificãt altercari & rixari quàm diſputare & diſſerere.
q In alcib. primo
r In Soph. Phædro ſept. de Rep.
ſ Primo Elencho.
t In top. Orat. Brut. 2. de Orat.
v lib. 5. inſt. orat.
Plato primꝰ dialecticã appellauit hanc artẽ, vt ſcri-

putatione & calculo, ſicut etiam λόγος, vnde vtrunque verbum factũ eſt. Et quidem Dialectica, Logica, διαλέγεσθαι λογίζεσθαι pręcipuè, ex ſyllogiſmi & argumentationis parte (vt ſupra dixi) nominata ſunt quomodo ferè & Latina vocabula. diſſerendi enim nomen ab Agricolis & olitoribus traditum eſſe Varro[x] docet. Vt enim (ait) olitor diſſerit in areas ſui cuiuſque generis res: ſic in oratione qui facit, diſſerere dicitur. Diſputare, vt idẽ ait, eſt quaſi purum facere: & per metaphoram ratione vti, cõſiderare, meditari, quòd virtus rationis humanę vera a falſis, vtilia, ab inutilibus, bona a malis diſcernit. Diſceptare itẽ ſumitur ex veteri conſuetudine dialecticorum, quęſtiones in varias partes diſtrahentium: cùm alius partem vnam, alius contrariam gymnaſticę exerci-

...bit laert. in eis vita Ariſtoteles verò logicam, ſi valle credimus, lib. 1. dialect.

x Var. de lug. lat. lib. 5.

diſcertare vnde ſimptum.

ercitationis grã,in ſcholis arriperet. Proinde, latina vocabula diſſerere,diſputare,diſceptare, etiã ſi originẽ tropi conſideres,ꝓpriè ad iudicãdi partẽ,vt græca referũtur. Attamẽ,doctrina cõſtituẽdæ gratia,generaliter modo intelligãtur, ad totã & generalẽ artis falcultatẽ & inuẽtiõis & iudicij ſignificãdũ. Cæterũ,hoc tã præclarũ & ſingulare M. Tullij de vtilitate quã affert Dialectica iuris ſtudioſis teſtimoniũ amplexi quidã noſtri tẽporis iuriſcõſulti clariſſimi,præcipua Dialectices pcepta, exẽplis è legũ fõtibus hauſtis, fœliciter illuſtrarũt:inter quos,nõ poſtremũ obtinet locũ Iac. Omphalius vir omni laude cumulatiſſimꝰ: qui vtriuſq; artis nimirũ diligẽter de qualibet quæſtione propoſita diſſerẽdi, & bene dicẽdi vſum nõ minùs familiari quã elegãti,& ornato dicendi

Cic. Baldus. Ce. Catiuncula Oedẽdor pꝰ Hegẽdor phinꝰ Dialectices partem aut totã exẽplis è legibus ſumptis illuſtrarũt: at. I. Omphalius etiã benedicẽdi ſciẽtiã dialecticæ adiũxit.

genere,ob oculos ſingulis propopoſuit. Neq; iuuẽtionẽ dialecticã cũ rethorica(ſi modò illiꝰ ſit quædã propria)cõfundit, vt multi calũniari poſſent, ſed vtranque mira dexteritate & artificio cõiũxit, & vnũ veluti corpꝰ ex variis mẽbris cõfecit. Cũ autẽ Typographꝰ aureũ hũc libellũ cũ altero ęquè elegãti & vtili eiuſdẽ authoris, de elocutionis imitatione, ſub incudẽ reuocare cogitaret, rogauit me vt nõ nullas horas in opere relegẽdo impẽderẽ: cui tã ſancta rogãti pręclaráq; cupiẽti, etſi grauioribꝰ ſtudiis ocupatꝰ denegare nolui: imò plura quã peteret præſtiti. Addidi enim quædã ſcholia, quæ præceptiões aliquas clariores reddẽt. Id verò feci libẽtiꝰ, tũ quòd ſim huiꝰ diuinæ artis ſtudioſiſſimꝰ, tũ vt iuuẽtutẽ cohortarer(ſi modo alicuius momẽti aut põderis futura ſit mea cohortatio)ad tã honeſtũ, tã

vtile,tã iucũdũ,tã facilè,tã deniq; neceſſariũ Dialecticæ ſtudiũ, citi⁹ & ex veterib⁹ & quibuſdã recentióribꝰ capeſſẽdũ.Citi⁹ dixi,quod putẽ maximo ſtudioſorum incõmodo tardi⁹ in ſcholis hęc præcepta tradi.Quò fit,vt in oratorum, hiſtoricorũ,poëtarũ,philoſophorũ,& omnis præterea generis authorũ ſcriptis legẽdis, nõ poſſint inuẽtiõis acumẽ, diſpoſitiõis perſpicuitatẽ,elocutionis lumina, & huiuſmodi orationis virtutes & ornamẽta obſeruare & fœliciter imitari. Huic itaq;(deinde rethoricæ) puer à Grãmatica ſtatim cõmittẽdus eſt:cũ ſit adit⁹ & inſtrumẽtũ omniũ ſtudiorũ& artiũ.Sed ſit illa erudita,grauis,ĩcorrupta,& optimis quibuſq; exẽplis illuſtrata,nõ ſophiſtica,ieiuna quidẽ & arida. Nã ſi deprauata fuerit hęc ars nõ parũ aliæ quoq; grauiores, vt Philoſophia,medicina,iuriſprudẽ

Magno ſtudioſorũ incõmodo,tardius præcepta dialectices proponũtur.

Puer à grãmatica ſtatim Dialecticæ cõmittend⁹ eſt vives, de cauſ.cor. art.lib.3. et de tra. diſ.lib.4.

tia & Theologia,ex ea cōtaminata crūt. HOC nō meū(FIZI modeſtiſſimè)ſed eruditiſſimorū hominū de differēdi ratiōe iudiciū, vnà cū ſcholiis,ad Omphalij νομολογίαν iuuenib⁹ præſertim ciuili diſciplinę deſtinatis, ꝓponēdū duxi Iuuenib⁹, inquā,nō tibi, quē ſcio harum præceptionū minimè ignarū: denique,audiendis repetēdiſque doctiſſ. Cuiacij doctiſſ. prælectionibus ſatis occupatū. Tibi autē hanc pręfationē inſcripſi,vt teſtimoniū aliquod extaret meæ erga te volūtatis:maximè,propter ſummū animi tui cādorē & ſingularē illam, qua prædit⁹ es, modeſtiā. Vnū eſt quod me tibi præcipere,aut ſi tua modeſtia patiatur,obſecrare obteſtariq; me⁹ in te amor cogit,vt pietatē colas, ꝙ te facere nō dubito, & memineris Philoſophię pręſertim Ethicę & hiſtoriæ ſtudiū cum Iuriſprudētia cōiungendū. Vale.

Totius philoſophiæ ſtudium cū iuriſprudent. coniungēdū.

CLARISSIMI IVRE CONSVLTI D. IACOBI OMphalij de ratione eloquendi ac diſſerendi liber vnus, ad vſum forenſem ciuiliumque cauſarum procurationem mira facilitate, & pergrata ſtudiorum omnium vtilitate accommodatus.

DE VSV ELOQVENTIAE.

INter ampliſſima naturæ bona, quib⁹ vel gloriæ æternitatem nominis ac famæ prædicatione conſequimur: vel ad ciuilem humanumque cultum informamur: non aliud magnificentius beneficium ipſa illa orandi facultate princeps ac rerum omnium parens Chiſtus homini conceſſit. Nam & ea cùm vitæ ipſius dignitatem, tum verò vniuerſæ reipublicæ ſalutem maximè continet: & cætera in ſqualore iacerẽt perpetuæ obliuionis caligine obducta ingenuarum artium ſtudia, &

Diuinũ beneficiũ orãdi facultas.

quicquid hæc rerum vniuerſitas habet vel laudis amplitudine excellens, vel gloria præſtans, vel admiratione immortale prorſus cōcideret, niſi hæc cūcta eloquentiæ ſplendore, ac lumine illuſtrarentur. Cuius ea non ſolum vis eſt atque facultas, qua rerum omnium natura atque proprietas dicendo profertur, ſed vniuerſa in omni laudis genere oratoris admiratio, vniuerſa humani ingenij altitudo, excellētíſque naturæ dignitas huius pulchritudine continetur. Neque enim aliud ad tradendas diſciplinas, ad conuertendas aliorum in nos voluntates tam vehemens eſt, quàm oratio liberalis, erudita, admirabilis, rerum verborúmque floribus veſtita, fuſa & æqualiter fluens, quæ delectationem, quæ dolores, quæ miſericordiā excitare, repugnantem flectere, ſtantem deturbare, iacentē erigere poteſt. Neq; maior admiratio exprimi vlla, quàm hominis eloquentis poteſt: quem de grauibus reipublicæ rebus, de officiorū ratione, de virtute, de religione diſſerentem, tāto cum ſtupore cæteri exaudiunt, vt eū, qui eloquentiæ laude cæteris omnibus egregiè antecellat, plus ſapere, quàm in homine quoquam credibile ſit, admira-

Eloquentiæ vis atq; facultas quāta, tū ad tradēdas diſciplinas, tum ad cōuertēdas hominū voluntates.

bili naturæ animorúmque conſenſione profiteantur. Nihil denique ad vitæ ſplendorem, nominíſque nobilitatem vel præſtabilius eſt, vel excellentius, quàm cū breuiſſimas nobis vitæ regiones, gloriæ verò ac laudis excurſum ſempiternum natura dederit, poſſe tamen ſola nos eloquentia vitæ breuitatem poſteritatis commemoratiōe compenſare. Nulla eſt reipublicæ dignitas, quæ non eloquentia conſeruetur. Nulla vitæ pars, quam non eloquentia regat. Nulla ciuilis ſocietas ac fortunæ communio ſine bene dicendi ratione inter homines conſtare poteſt: vt eam qui ſpernat ac negligat, is iam nō hominis, ſed bruti atque pecudis nomen habeat. Quanquam & feras quoque immanes oratione humana flecti, atque allici, vt delphinos ac pleráque alia animantia videmus, vt nō parum portentoſum eorum ſit faſtidium, & in omni memoria inaudita quædam barbaria, qui ad omnem ingenij humilitatem abiecti, nullo eloquentiæ ſtudio ad res præclarè agēdas inflammantur: quorum amens, perdita ac profligata vecordia grauiſſimā peſtem cum rectis ſtudiis, tum vero moribus bonis inuexit: quando immanes

Benedicē di rationem qui ſpernit nō hominis ſed pecudis nomen habet.

eorum & barbari mores, à quibus omnia humanitatis ſtudia negliguntur, facilè me tacente arguunt, quàm ſint non ſolum ab omni humanitate, ſed etiam ſimulatione humanitatis relicti. Quid autem tam magnificum, quàm poſſe aliorum voluntates, quò velis, impellere, aut quid tam proprium humanitatis? quàm oratio ſplendore rerum illuſtrata ad languentis populi vel incitationem, vel effrenati moderationem adhibendā quid porrò tam neceſſarium, quàm in concordia retinere ciuitatem, atque animorum ſenſa dicendo inter nos communicare? Magnæ profectò & admirabilis cuiuſdam eſt gloriæ, cum ſuis quiſque affectibus vehementius blandiatur, quaſqunque tamen in hominum animis permotiones res & cauſa poſtulat, eas dicendo vel exitare, vel componere ex multis vnum aliquem poſſe. Regiæ eſt magnificentiæ, nocentis fraudem ciuium odio ſubiicere: populum audatia furentē reflectere, aut fortunis deſperantem, & metu debilitatum, ad Republicæ decus incitare. Illud verò neceſſitatis videri poteſt, cum toties inuidiæ tempeſtatibus obiecti, in medium ſæpe communium temporum diſcrimem de-

Quam magnifica & neceſſaria ſit bene dicēdi facultas.

Cic. 1. de Orat.

ueniamus, eiuſmodi tamen arma tenere, quibus vel noſtra tecta ſit inocentia, vel aliorum diſrupta conſtringatur ſæuiendi libido. Cùm igitur bene dicendi facultas ea ſit, quæ magna iam inde ab initio humani generis præſidia ſummo cum honore & dignitate priuatis publiciſque rationibus attulerit, quæ pergrata vtilitate, & dignitate admirabili hominum ſtudiis ac ſaluti conſulat: nec alia aut vberiorem delectationem, aut maiora præmia ad gratiam, ad fortunas, ad dignitatem propoſita habeat, digna ſanè eſt, ad cuius ambitum atque gloriam omni animorum contentione ſtudioſa iuuentus imflammetur.

Quātam delectationem et vtilitatē adferat eloquentia.

QVID SIT RHETORICA.

Rhetorica benedicendi eſt ſcientia.

Hæc conſtat { Natura, Arte, Exercitatione.

Naturæ ἕξις & motus celeres, quos Ariſtoteles alicubi φυσικὴν ἀρετὴν appellat, cũ ad reliquas diſciplinas oēs, tum vero ad præclaram illam bene dicendi indolem mirificè conducunt: eiúſque vis

Quibus rhetorica cōſummetur.

tanta eſt in brutis animantibus, nedum homine rationis capace, vt eam ſine doctrina ad pulcherrimarum rerum laudẽ admirationémque plurimum valere documẽto ſint admirabiles apum cùm labores, tum conſtans quoddam communis vtilitatis ſtudium: formicarum item
Pli. li. 8. cap. 27. & 35. prouidentia: Ibis Ægypti auis ſolertia, cui clyſteris vſus non ſecus atque Hippopotamo venæ ſectio refertur accepta. Eſt enim naturalis quædam vis noſtris impreſſa animis, qua rerum omnium inter ſe ordinem cognationémque peruidemus. Quæ ſi mediocris obtingat, poterit ſtudij diligentia augeri atque incitari. Nam Catonis Cenſorini, Torquati, Q. Varij infantia, ac quædã naturæ tarditas labore excitata, in ſummam laudandarum artium cognitionem effulſit. M. quoque Craſſus à doctrina mediocriter, anguſtius etiam & exilius à natura inſtitutus, laboris & ſtudij vehementia, eruditionis magnitudinem admirationémque eſt conſecutus. Sunt etiam hodie permulti, qui naturæ & ingenij egeſtatem ſic diſſimulant, ac corrigũt labore, vt quæ deſint, non magnopere deſiderentur. Quare non eſt quod eorum, quos natura ab omni laude fœlix, aut il-

la præſtabilis ingenij vis forte deficit, ſpes infringatur, aut deſperatione debilitata langueſcat induſtria: cùm nihil à natura negatum, nihil à doctrina non delatum, nihil perdiſcendi propemodũ humanæ induſtriæ vel inimitabile vel difficile videri poſſit, niſi quod ipſa negligit ac ſpernit.

Nõ eſſe in literis deſperãdum.

Cic. 1. de Orat. & 2 de div.

Arte limatur natura non aliter atque fertilis ager, qui colentis ſtudio longe vberiorem, quàm ſua ipſius fœcunditate profert fructum. Præſtat enim certam dicendi rationem ac viam: & naturæ ipſius bona, quæ per ſe non omnino ſunt ſpecioſiſſima, venuſto quodam cultu induit atque illuſtrat. Nec ita multum vel naturæ bonitas, vel ſtudij vehementia prodeſt perueniendi aliquò, niſi artem quæ eò, quò magnis animis intẽdimus, ferat, deducátque, cognorimus. Sed hãc alij rationem, Cicero doctrinam vocat. conſtat enim monitis & præceptis.

Ars.

Cice. de Orat.

Exercitatio, quam Cicero lib. 1. de Oratore diligentiam vocat, virium noſtrarum, adeóque ipſius ἕξεως, quam natura nobis inſeuit & ratio prouexit, certiſſimũ vſum præbet: pars ſtudij noſtri vt fœliciſſima, ita omnium maximè neceſſaria. Neque enim vel præceptiones,

Exercitatio.

vel diſciplinæ liberales, vel vlla denique officij ratio ſine ea ad aliquam laudem deduci poteſt. Adeo omnia honeſtè viuendi præcepta, ne dum ipſa ingenuarũ artiũ magnitudo vſum exercitationémque deſiderant: nec eloquẽdi modo celeritas exercitatione incitatur, ſed intelligendi quoque acuitur prudentia. Cõfirmatur autem multo & aſſiduo dicendi vſu, iuxta prouerbium, μελέτη πάντα δύναται, lectione diligenti, & ſtylo optimo illo & præſtantiſſimo dicendi artifice: ſub cuius acumẽ omnia verba, omnes ſententiæ, omnia quæ in oratione ſunt illuſtria ſubeant & ſuccedãt oportet. Vt quemadmodum ſubitam orationem commentatió quædam excipit, ita hãc ipſam eruditam, fuſam, & æqualiter fluentem admirabilémque ſcribendi exercitatio faciat. Poſtremò vt quæ vmbratili exercitatione cõſecuti fuerimus, in ipſum pugnantium ſtrepitum ac forenſem aciem palæſtritarum more educamus. Nam vt Ouidius ſcribit, Solus & artifices qui facit vſus erit. Iudicabat hoc Afranius cum diceret, Vſus me genuit, peperit mater memoria.

Stylus.

Cic. 1. de Orat.

Oratoris officia ſunt vt { Doceat, Moueat, Delectet.

Docere eſt defenſionis ſignis atque argumentis eum qui cauſam nobis ſit adiudicaturus adducere. Idque diſceptantis proprium eſt munus in orationis acumine poſitum. Fruſtra enim iudicum animos reliquis artibus pertẽtamus, niſi rebus controuerſis, quas ſibi ſpectandas ſumunt, fecerimus fidem. *Oratoris officia tria.* *Cic.2. de Orat & in Orat, ad Brut.*

Mouere eſt audientem iam antè ad credendum paratum, impetu quodam animi atque permotione impellere, & in quemcunque velimus ſenſum pertrahere, eóque orationis vim deſiderat.

Delectare ſuauitatis eſt, vt auditorem aurium voluptate allectum, noſtræ cauſæ habeamus accommodatiorem, & omni voluntatis inclinatione in nos propendentem, Id autem venuſta orationis lenitate conſequemur.

In his vniuerſa oratoris profeſſio verſatur, quoties ciuium præclara in Remp. merita verborum honore proſequitur, inceſsítque iuſta reprehenſione mores ſceleratos: aut ſuam rebus controuerſis ſententiam cum decore ac di- *In quib⁹ vniuerſa Oratoris profeſſio verſetur.*

gnitate interponit, profuſam nocentiſſimorum hominum perniciem legibus ac ſupplicio conſtringit, eripítque ciuiũ integritatem. Quæ omnia pleniſſimam ſtudij fideíque gratiam ita demum merentur, ſi orator bonę exiſtimationis, excellentíſque virtutis opinionem de ſe cunctis præbuerit. Mores enim, vt ſcribit Ariſtoteles, præcipuã faciunt fidem.

Mores præcipuã faciũt fidẽ.

DE PARTIBVS RHETORICAE.

Partes rhetoricæ

Rhetoricæ partes ſunt, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio.

Inuentio verba ac res ad locupletandam ciuilem orationem ſuppeditat.

Duplex quæſtio, θέσις καὶ ὑπόθεσις

Oratio autem ciuilis explicatur, quæſtione { Infinita & Finita.

Finita quęſtio quæ Græcis θέσις, Dialecticis κατηγορική, Latinis propoſitum, poſitio, conſultatio, quæſtio vniuerſalis ſiue ciuilis appellatur, ſiue perſonę, loci, tęmporis, & horum ſimilium deſignatione, in vtranque partem tractatur hoc modo: An ſit ducenda vxor? Sint ne in bonis habẽdæ diuitiæ? Liceat ne vim vi

repellere *a*? An fas ſit adulterum occidere *b*? Hæc interim ad aliquid refertur, habétque latentem perſonam, & quaſi tacitam temporis ac qualitatis ſignificationem, neque tamen cauſa propriè dici poteſt: vt, Sit ne Chriſtianę libertatis aſſertio, cum humanis paſſim legibus obruamur?

Finita quæ Græcis ὑπόθεσις, latinis cauſa controuerſia, ſiue ſpecialis vocatur quæſtio, ex complexu rerum, perſonarum, loci, temporis, cæterorúmque conſtat hoc modo: An debeat M. Regulus promiſſa facere & ſtare conuentis? Fuerint ne in bonis habendæ diuitiæ Fabritio & Curio? Et an Taleti Mileſio ducenda ſit vxor? cum is præſertim nec iuueni nec ſeni ſibi tempeſtiuũ putaret vxorem ducere, cuius imperio actus ſeruilem in modum diſcruciaretur: ſignificans nimirum ſapienti vxorem non eſſe ducendam. Iure ne inſidiantem Clodium occiderit Milo? & an Numius noctu adulterio deprehenſum Gracchũ iure interfecerit? *a* An patri fas ſit in ge-

a lege vt vim 3. de iuſt. & iur. 1. §. vim vi. de vi & vi ar. l. Sed et part. 11 § de eo quid me cauſ. l. Itaque l. ſciẽtiã 46 §. quũ cum d. ad l. Aquil. l. i. c. Quàndo licet vni cuiq; l. 1 s quũ agreſſore 2. l. Si q s 3. c. ad. cor. de ſicar. b l. Grac. 4. c. ad l. Iul. de ad vlt. l. marito. 24. l.

ſi adulterium 38. §. Imperatores 38. d. eod. l. qui occidit 3 ad l. Aquil. d.
a l. Gracchus 4. c ad in Iuliam de adult.

neri domo deprehenſum adulterum vnà cum filia interimere? b

b l. Nihil 32. l. patri. 20. cũ tribus ſequẽtibus. ad l. Iul. de adu. d.

Quæſtionũ vſus.

Ampliſſimus eſt in omni ciuili ac forenſi diſceptatione quęſtionis vtriúſque vſus. Nam laudationes & cõſultationes de rebus amplectendis ac fugiendis, de communi omniũ vita ac ſocietate ἀπὸ τῆς θέσεως dependẽt: & ad cauſam ipſam, niſi excuſſa prius cõſultatione, perueniri non poteſt. Neque enim Spurium Melium à Seruilio Hala iure interfectũ eſſe probari poteſt, niſi explicata theſi, Sit ne ius eius occidendi, qui populari frumẽti largitione regnum affectet, cum leges hominem indicta cauſa occidi vetẽt? In grauioribus etiam diſciplinis & diſputationibus earum rerum vis atque natura, quarum in huius vitæ ciuilis cõmunitate cognitio neceſſaria eſt, perſpici non poteſt, citra harum quæſtionum tractationem, Nam in contexendis ſyllogiſmis à theſi & locis communibus exordiri, & conſequentiæ cõcluſionem hypotheſi inuenire cogimur.

Has quæſtiones metitur RO*dolp. ex differentia artiũ.*

Sunt autem θέσεις { θεωρητικαὶ. καὶ πρακτικαὶ.

Nã quæ-

Θεωρητικαὶ ſola rei cognitione ſcientiá-

que tractantur. quarum ſunt formæ, cõiectura, finitio, conſecutio ſiue qualitas.

l. i. artes ſunt, cognitionis quædam actionis quædam verò mediæ.

Coniectura exquirimus, ſit ne in rerũ vniuerſitate res ea, de cuius natura quæritur: deinde quæ eius origo, cauſa, ac immutatio, vt ſit ne ius gentium, quæ eius origo, qua cauſa à iure naturali diſſentiat *a*,

a Tit. d. & Inſt. de iuſtit. & iur.

Definitio certis & circumſcriptis verbis quid res ſit, quam vim habeat, quæ eius forma, quod genus, quid cuiuſque ſit proprium oſtendit.: vt ſit ne iuſtitia conſtans & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens? *b*

b l. Iuſtitia 10. de iuſti. et iure. d. § 1. hiſt. cod.

Conſecutio ſiue qualitas quid quanque rem ſequatur; & quale id ſit demõſtrat. Hæc interim ſimplex eſt de expetendis fugiendíſque rebus, æquo item & iniquo. Interim vero compoſita, cáque inquirimus idem ne ſit an aliquid interſit, hoc modo. An perinde habendum ſit vtrum occidat quis, an cauſam mortis præbeat? *c*.

c l. Nihil intereſt. 15. ad l. cor. de ſic car. l. qui occidit. 3. § pe. ad l. Aquil. d.

Aptiſſimè ad hæc coguntur prima illa rerum principia ac elementa quatuor. Nam eſſentia, quam οὐσίαν Græci vocant, coniectura excutitur: quantitas &

qualitas, quę in ciuilibus diſputationibus quædam veluti actionum ſunt inſtrumenta, ſtatum reddunt iuridicialem: πρόςι rerum circunſtantias ac comparationem habet, eóque definitionem præcipue iuuat. Atque hinc tria illa, ad quæ cuncta referũtur, emergũt, An ſit, Quid ſit, Quale ſit. Iiſdem ex fontibus profluunt ac emanant actionum formę quatuor, quarum fortiſſima eſt, vt quod obiicitur, negemus *d*. Proxima huic, qua factum quidem concedimus, ſed negamus id eſſe quod aduerſarius criminatur. Tertia honeſtiſſima, qua factum ipſo iure tuemur. Quibus omnibus deſtitutis ſola iam ſupereſt tranſlatio, quam exceptionem iuriſconſulti vocant, vt nõ videatur iure actio nobis intendi. Ex iis demum emanant.

d l. Arria n⁹. ff. act. & oblig. d. l. actor. 23. de pb. ca. bonæ. de electio. c. 1. ſuper hoc de renuntiat.

Status quot.

Status { Coniecturalis / Definitiuus / Qualitatis } Horũ aliquis in omni cauſa tractatur.

Status ſiue cauſæ conſtitutio, Græci ςάσιν, Theodorus κεφάλαιον γενικώτατον vocat, eſt quod ex prima cauſarum conflictione naſcitur, & in quo controuer-

ſia vertitur. Hoc eſt quod orator in tota actione ſibi obtinendũ,iudex vero ſpectandum intelligit. Iuriſconſulti punctum iuris vocant.

Commodiſſima ſanè cognoſcẽdi ſtatus ratio fuerit, vt quemadmodum ſobrij faciunt medici, qui ægroti valetudinem non ſolum ex corporis habitu & naturæ ſignis, verumetiam ex ipſa familia ſolerti animi iudicio condiſcere ſolent: ita orator remotis arbitris, quo ipſa confeſſio ſit liberior, ex reo cauſam penitus cognoſcat: cúmque veluti aduerſarius, quęcunque de cauſę ſuę defenſione ſentiat, libero animi iudicio confiteri impellat. Deinde ſibi ipſe oratoris, aduerſarij, & iudicis perſonam ſumma cum prudentia ac ęquitate induat: cogitétque animo quæcũque obiici poſſint, vt hoc modo inſtructus, cauſę conſtitutionem ſuis tueatur locis propriis ac certis. *Similitudo à medicis ſumpta.*

STATVS VNDE NASCANTVR.

Status vbi factum negatur, ex prima intentionis & inficiationis conflictione naſcitur. Neque enim cauſa adferri, aut

opponi exceptio poteſt, vbi crimen obiecta inficiatione depellitur: propterea quod is, qui factum negat, nulla naturali ratione ad probationem, quæ aſſeueranti incumbit, impellatur *a*: & probare actorem, qui crimen intendit oporteat *b*, niſi euidens ſuſpicionis præſumptio hunc ordinem interuertat. *c*.

a l. Aſſeueratio. c. de non nu. pecu. cap. quoniā cōtra. de proba.

Intentio eſt, Fuiſti Sylla in funeſta Catilinę coniuratione. Inficiatio ſiue depulſio, Non fui. Iureconſulti hanc, exceptionem intentionis ſiue facti vocāt, referente Azone: qua quod intenditur, negando impugnamus. Ex conflictione intētionis & depulſionis oritur quæſtio & ſtatus coniecturalis, an fuerit?

b l Actor 23. c. de proba. l. ei incumbit. eod. tit. d.

Huius ferè generis Cicero eſſe putat actiones de pecuniis repetundis, & de ambitu, & de veneficio, & de ſicariis, & de peculatu, & huiuſmodi, quæ omnia ex facti controuerſia dependent.

c l. ſiue poſſidetis c. eod. tit.

Vbi autem facti cauſa tractatur, ſtatus ex his quatuor emergit, Intentione, depulſione, ſiue inficiatione, ratione & firmamento.

INTENTIO.

Occidiſti Opimi Caium Gracchum.

Depulſio.

DEPVLSIO.

Occidi, ſed iure. Eſtque hic quæſtio.

Ratio, ſiue Αἰτία, quæ depellēdi criminis cauſa affertur.

Turbulētis enim ac ſeditioſis legibus Rempublicam euertere conat⁹ es iuriſconſul. hanc exceptionem vocant, cuius probatio in reum, qui in exceptione actoris partes habet *d*, aptè transfertur. *e*.

Firmamentum ſiue continens συνέχον Græcè, quo ratio labefactatur, Iureconſultis rēplicatio dicitur.

Non eſt fas, ne flagitioſiſſimum quidē hominem indicta cauſa necare *f*. Hæc ſuis vtrinque tractantur rationibus. Ex concurſu deinde τῆς αἰτίας καὶ τοῦ συνέχοντος oritur ζήτημα & ſtatus qualitatis, Iuréne Opimius ciuitatis euerſorem Gracchū indemnatum occiderit?

Sed rationum atque firmamentorum, quæ Vlpiano replicationes dicuntur, *g*. lata eſt contentio, & ſubinde alia atque alia firmamenta cū ab actore tum etiā à defenſore adferuntur. Nam ſicut exceptio ſiue αἰτία, id eſt ratio actoris intentionem, ita replicatio ſiue firmamētum

d l.i.d.de excep. & l.i. c. de probat.
e l.in excep de probationib⁹ l.cum de indebito. §. ſin autem eo.ti.
f l.i.de exceptionibus. d. l. i.d.ad l. cor. de ſicar. Bal. in fidei cō miſſa. §. Si quis de leg. 2.
g l. 2. §. replicationes. de except. d.

b l.2.eod.d. rei defenſionem excludit *b*. & contra replicationē datur duplicatio, contra duplicationem triplicatio, contra triplicationem rurſus quadruplicatio, & deinceps multiplicatur vt ait Vlpianus *i*. nomina, dum aut reus aut actor obiicit.

i l.1.§.illud.d. de except.

Hanc autem ciuilium actionum partem, vt omni in iudicio imprimis neceſſariam, ita vſu & cognitione digniſſimam, quoniam à rhetoribus ſic leuiter attingitur, quaſi non maximarum in ea momenta rerum verſentur, viſum eſt inſtituendæ iuuētutis gratia paulo amplius de Iuriſconſultorum ſententia explicare. Nam vt recta illa inſtitutione ad hominum mores informandos, ad ciuilium rerum procurationem ſuſcipiendam, præſtantius nihil eſſe poteſt, ita infeliciter & nullo ferè cum ſtudiorum fructu, rhetorum præceptiones, niſi ad certum fori vſum cogantur, in ſcholis iuuentututi traduntur.

l.inſti.§.verbi l.2.de exceptio.l.qui æquitate de.do ma l: except.d. Eſt autem exceptio, quędam veluti actionis excluſio, ex quadam defenſionis ęquitate propoſita, ad infringēdum impugnandúmque id, quod in intentionem condemnationémque eſt deductū: vt ſi actor intendat Clodium iniuria à Milone occiſum eſſe, reus cędem à ſe

factam eſſe fateatur, ſed tamen per exceptionem ſe defendens, vim vi repulſam eſſe dicat *m*. Sed exceptionum non ſimplex eſt diſtinctio. Alię enim declinatorię appellantur, quę ei, qui vel fori preſcriptionem habet, vel ſupra iuriſdictionem ſuam ius dicit, aut procurator legitimus eſſe non poteſt, ante litis conteſtationem opponuntur *n*: niſi tamen ſententia litigatorum errore à non ſuo iudice dicta ſit *o*: aut eius arbitri, qui nobis inimiciſſimus eſt, ſententiam retractemus *p*. Quo modo nihil vetat eiuſmodi opponere exceptiones, etiam poſt factam litis conteſtationem. Animaduertiſſe has videtur. Quintilianus lib. 3. cap. 6. Diſcāt igitur ante omnia, inquit, quadripartitam in omnibus cauſis eſſe rationem, quam primum intueri debeat, qui acturus eſt. Nam vt à defenſore potiſſimum incipiam, longè fortiſſima tuendi ſe ratio eſt, ſi quod obijcitur, negari poteſt. Proxima, ſi non id quod obiicitur, factum eſſe dicitur. Tertia honeſtiſſima, qua rectè factum defenditur. Quibus ſi deficiamur, vltima quidem, ſed iam ſola ſupereſt ſalus, aliquo iuris

m l. vt vī 3. de iuſt. et iure. l. ſed et partus. § .1. de eo quod me. cauſ. l. i. § . vim vi de vi & vi arma. d.

n l. pſcriptiones c. de excep. l. nemo c. de iuriſd. omnium iud.

o l. vlt. c. ſi à non competē. iud.

p l. nō diſtinguem⁹ § . cū quidā de rec°. arb. d. cap. in ſinuāte. de offic. de leg. l. 2. de conſor. eiuſ. lit. c.

adiutorio elabēdi ex crimine, quod nec negari, nec defendi poteſt: vt non videatur iure actio intendi. &c. Aliæ ſunt tēporales & dilatoriæ, quæ & ipſæ ante conteſtationē interponuntur, quibus actor ad certū & cōſtitutum tempus ius ſuum differre, nec prius quàm dies ex conuentione venerit, quod ſibi debetur, iudicio experiri cogitur, Vt ſi conuenerit, quam mihi pecuniam credidiſti, eam ne peteres ante biennium, agenti tibi obiiciam pacti cōuenti exceptionem q. Porrò exceptiones perpetuæ atque peremptoriæ ſunt, quæ rem de qua controuerſia eſt, perimunt: ſempérque agentibus obſtant. Tales ſunt apud Ciceronem in orationibus pro L. Murena, pro Cn. Planco, pro Annio Milone, vt dixi, interfeci, inquit, Clodium: ſed iure, quoniam vim vi repuli: eúmque occidi, qui vitæ meæ inſidiabatur. Huius quoque generis ſunt, exceptio rei iudicatę, quę obſtat, quoties eadem quęſtio inter eaſdem perſonas in iudicium reducitur r. exceptio doli mali & metus, ne cui ſuus dolus per occaſionem iuris ciuilis contra naturalem æquitatem proſit. Proinde ſi crediturus pecuniam ſtipulatus ſim eam mihi reddi, nec tamen numeraue-

q l. exceptiões. de excep. d. §. tēporales inſtit. c. tit. l. exceptionē de proba. C.

r l. Iulia de excep. rei iud. d.

rim: & ſi cauſa ſtipulationis, quæ ſecuta non ſit, certa mihi fuerit, nocebit támen exceptio non numeratæ pecuniæ, s. Exceptio item pacti conuenti, ne omnino pecunia petatur, & ſi quid contra leges ſenatûſque conſultum factum eſſe dicetur. t. Sunt & aliæ odioſæ exceptiones vt Macedoniani: aliæ fauorabiles, vt Velleiani. De pleriſque etiam non ſatis conuenit perpetuæ ne, an temporales ſint. Quam diſceptationem prudens omitto, ne iuriſconſultorum commentarios in eo præſertim opere, quod rudi iuuentuti proponitur, excutere potius quam facilem aliquem rhetorices vſum oſtendere videar voluiſſe. Opponuntur autem peremptoriæ hæ exceptiones vel plures ſimul, vel vna aliqua, eodem vel diuerſo tempore ante rem iudicatam, & quamdiu ipſi litigatores omnibus facti atque iuris exceptionibus non renunciauerint v. Poſt ſententiam verò dictam exceptio ferè nunquam interponitur, niſi in integrum reſtitutio interueniat, aut prouocatio interpoſita, impetrataq; imperatoris benignitas ſupplicatione fuerit, aut præuaricatio iudicũq; corruptio, &id genus alia facta probētur x. Sanè exceptio ob

s l. palã. § circa de dolo ma. & me. excep. d. t. & d. l. exceptiones l. 2. C. ad Velle.

v Inno. in C. paſtoralis. de exce.

x Accur. in gl. in l. i. in verbo quenquam C. ſententiã reſcindi nõ poſ. ibi Azo. l. tã & ſi. a d Maced. d.

ſcurè interpoſita cauſæ defenſionem facit deteriorem y. Liquet igitur ex his, quam vim habeant cauſarum firmaméta, quę Vlp. replicationes vocat z eáſq; nihil aliud quam exceptiones eſſe ſcribit.

y in cle. cũ ad repulſionẽ. de appell. l.1. § Labeo.d.de ſlu.d.

Iam quando huius generis omnia aut iure defenduntur, aut quod oportuerit, vel fuerit neceſſe, vel factum ſit imprudentia, vel caſu, rhetores duplicem fecerunt qualitatem, abſolutam & aſſumptiuam.

z l.2. §. replicationes. de except.d.

ABSOLVTA qualitate (Hermagorei ἀντίληψιν vocant) quod obiicitur honeſtum ac iuſtum eſſe defendimus.

Iuſtum continetur { Natura. & Conſtitutione.

Naturæ, quæ rei dignitatem habet, partes ſunt: religio, pietas, fides, continentia, &c. Eſt enim quoddam antiquũ naturæ ius, quod Iurecon. ius gentium primarium a. Græci ennœas & προλήψεις, Cic. inchoatam intelligentiam, Seneca & Quint. ſenſum communem, alij informationem vocant, cuius beneficio adducti homines humanæ neceſſitudini

a l.§.2. ibi docto. de iuſtit. & iure. Inſti.tot. tit. de iure, nat. gen. & ciuil.

rectè conſultum cupimus *b*.

Conſtitutio eſt in lege, more, æquo ac bono, quod Ariſt. τὸ ἐπιεικές appellatur, iudicato item & pacto *c*. Atque in his vniuerſa iuriſprudentia verſatur: cuius cognitio in ciuilibus ac forenſibus cauſis agendis imprimis eſt neceſſaria.

ASSVMPTIVA qualitas eſt, qua factum infirmum & parum probabile aſſumptis externis probationibus tuemur. In ea verſatur Cicero, vbi Clodiũ ex vſu totius Reip. & interfectoris gloria oppreſſum fuiſſe multis argumentis probat. Græci προσληπτικὴν, Iuriſcon. perſonales conſtitutiones nominant *d*. cum princeps ſine exemplo ac præiudicio admiſſi criminis impunitatem alicui propter præclarum illius in Rempub. beneficium, aut cauſam aliquam concedit.

Loci huius ſunt { Conceſſio. Tranſlatio. Criminis remotio. }

Conceſſio peccati habet confeſſionẽ, quæ & ipſa ad miſericordiam rectum iudicis animum flectit. Videntur enim venia ſalutéque digniſſimi, qui confitendo erroris ſui culpam deprecantur *e*.

b l. i. §. Ius nat. de iuſt. et iure. d.

c l. Ius autẽ de iuſt. & iur. Inſt. §. Scriptum ius c. l. de quibus l. Nã imperator. de leg. d.

d l. Quod principi. ff. Planè. de cõſtit. Bar. in l. 3. ff. ſi quis vltra deque. d. Pan. in c. Cũ te. extra de re iud.

e In Aut. Nouo iur. C. de. pœ.

iud. qui male iu. l. vnica. C. de his q ſe def. lib. 10. l. edicto. de iureſiſ. d.

Diuiditur autem in { Excuſationem. & Deprecationem.

Excuſatione fatemur nos peccaſſe, ſed per ignorantiam aut fortunam: vt quæ infeſto potius caſu, quã fraude ſunt commiſſa, fato non noxæ imputentur. Quando eum, qui cædem à ſe factam non voluntate, ſed caſu fortuito, cùm calcis ictu hominem interimeret, confitetur, principum conſtitutiones periculo eximi volunt *f.* & Vlpianus referre in omnibus delictis ſcribit, conſultò aliquid admittatur an caſu *g.* Eſt enim in pœnalibus iudiciis, vt ait Paulus, ætati & imprudentiæ ſuccurrendum *h.*

f l. i. l. Eũ qui C. de ſic. l. i. ff. diu⁹. e. d.

g loſ. abſentẽ. §. refert l. Reſpiciẽdũ § . de liquũt d. depœnis.

Deprecatio apud ſenatum, principem pium, & vbicunque iuris clementia eſt, valet: rarius in iudicio. Animaduertit hoc quoque Bart. in l. 3 §. ſi quis vltrò. ff. de quæſt. Bald. in l. ſeruos. C. ad l. Iul. de vi pub. Panor. in ca. Cum te. extra de re iud. Extat in eam ſentẽtiam l. 1. §. Plane. ff. de conſt. princ. ca. niſi ſpecialis. de offi. legati.

h l. fere in l. factum ff. in pœnalibus de re iud. d.

Ea precipue cōmendatur.
- Innocētia & ante actæ vitæ dignitate, quę ipſa non leuem commēdationem habet: magnamque in grauibus cauſis æſtimandi copiā prebet *i*.
- Spe bona futuræ vitæ.
- Meritis & amicorum gratia.

i le. 3. §. ſed ſi ex improuiſo. l. Non oēs de remil. et d. l. nō omnes. §. à barbaris. l. de minore §. tormenta. de quæſt. d.

Quibus ſuccedunt, exiſtimatio magiſtratus, nobilitas, atque id genus alia, quæ omnibus in cauſis obſeruari debere in publicarum diſceptationū libris ſcriptum reliquit Vlp. *l.* Nec aliud vel potentius ad alleuandam quæſtionum calamitatem, vel fauorabilius cum ad emerendam gratiam, tum verò ad iudicis religionem flectendam ipſa illa in præclari Rempub. collatio officij recenti memoria *m*.

l leg. Diuo Marco.

Tranſlatione vtimur, cū nos indignitate rei compulſos crimen cōmiſiſſe fatemur. Cū enim plerūq; homines delin-

§. in decurionib⁹ l. milites ibidē. l. ſi ſeruus ſi ex nox-
cauſ. ag. d.

m l. Nihil c. de quæſtio. l. d. non omnes.

quant aut propoſito, aut impetu, aut caſu, vt ait Vulp. *n.* fit naturæ quadã conſenſione, vt in eum, qui iniuria, conuitiis, ac iuſto animi dolore prouocatus vlciſci ſe voluerit, ſimus æquiores *o.* eóque imperatores Marcus & Anto. & Cõmodus filius referente Modeſtino reſcripſerunt *p.* ſi maritus vxorem in adulterio deprehenſam, impetu tactus doloris interfecerit, non vtique legis Corneliæ de ſicariis pœnam illum accipere: quòd difficillimum ſit iuſtum animi dolorem temperare poſſe.

Remotio criminis eſt, cũ in eum culpam transferimus, cuius impulſu peccauimus. quem locum diligenter tractat Ph. Decius *q.*

HOC IN vniuerſum ſit præceptum, in ſimplicibus cauſis, etiam ſi variè defendantur, ſingulos eſſe ſtatus. In coniunctis autem & diuerſis quæſtionibus, vbi aliud negamus, aliud iure factũ defendimus, aut vbi rem aliquam multi ac diuerſi petunt, eodem iure vel diuerſo poſſe plures eſſe ſtatus.

His tribus rationalibus conſtitutio-

n l. reſpiciẽdũ ff. delinquũt de pœnis ibid. Bar. o l. qui cũ maior. §. ſi libert⁹. ff. ſi patris de bo. libert. l. quicquid calore, ibi do. de reg. iur. l. i. ff. diuus ad l. cor. de ſicar. d. p l. ſi adulterũ. §. imperatores. ad l. Iul. de adult. d. q in l. vel le nõ creditur de reg. iuris d. pertinéntque ad eam quæſtio. l. i. eod. de ſepul. viola. l. ſeruos. c. ad l. Iul. de vi publ.

nibus ſubiiciũtur quatuor legales Cice. in Topicis legitimas diſceptationes vocat, nempe ῥητοῦ καὶ διανοίας ἀντινομίας, ἀμφιβολίας, καὶ συλλογισμοῦ de quibus in præceptionibus ἀντινομίας dicemus. Grauis enim maximarum rerum cõtrouerſia, & iuris ciuilis pars maxima ex illis dependent. Nunc de his quæſtionibus, quæ actionis ſunt.

Θέσεις πρακτικαὶ in actionis atque officij diſceptatione verſantur: continentúrque cohortationibus, obiurgationibus, conſolationibus, & huiuſmodi aliis. Nam quid rectum faciundum ſit explicant hoc modo: Sítne ad Reipub. adminiſtrationem accedendum. Sítne diſſidium ciuile à Rep. propellendũ r.

r Bart. in l. ſi quis ĩgenuam? ff. in ciuilibus de cap & poſt lim. reuerſ.

DE FINITA QVÆSTIONE.

Ὑπο θέσεις finitæ quæſtiones forenſi diſceptatione tractantur, conſiántque laudatione, deliberatione, & lite. Ex his naſcuntur.

Cauſarum genera tria { Demonſtratiuum. Deliberatiuum. Iudiciale.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Genus demonſtratiuum.

Genus demonſtratiuum, græcè ἐπιδεικτικὸν καὶ ἐγκωμιαστικὸν, officiis cõſtat laudandi & vituperandi. Eius olim vſus apud Indos Solonis edicto in funebribus orationibus ampliſſimus fuit. Apud Græcos primus Pericles funebri oratione, qui in bello Pelopõneſiaco pro patria pugnantes occubuiſſent, magnificè laudauit: apud Rom. Valerius Publicola Bruti, Roma. libertatis vindicis, laudes in funere eſt proſecutus, inſtitutúmque bello Punico. 2. vt matronarũ ſicut virorũ antea, quorum inſignia pietatis officiique exempla in Remp. extarent, ſolẽnis haberetur laudatio. Et mos poſtea Romanus etiã actionibus publicis hoc genus accõmodauit. Extántq; huius generis nobiles Demoſthenis, atq; Thucydidis, Ciceronis itẽ ad Quirites de Rom. populi beneficio, in L. Piſonẽ. M. Antonium, & cæteros orationes.

Genus demõſtratiuum à quibus ſit pcofectũ.

Laus Rom. matronarũ.

Vſus generis demõſtratiui

Porrò ampliſſimus huius generis eſt flexus & ex quo penè ciuilium quęſtionum iudicandique ratio naſcitur. Nam præterquam quòd varia ac multiplici materia iuuentutis ſtudia exercet, &

ipſa illa honeſti prauique contemplatione molles hominum animos ad omnem virtutis admirationem cõcitat atque impellit, etiam reliqua duo genera veſtit. Siquidem in conſiliis quid ſequẽdum, quid fugiendum explicari niſi huius generis auxilio non poteſt, & in iudiciis æqui, aut iniqui partes teſtium fides, aut confutatio, perſonarum deſcriptio & huiuſmodi pleraque alia, cum laudatione, aut vituperatione ſunt cõiuncta. Paſsim apud. Cic. videre licet, quamtum ille induſtriæ poſuerit in deformandis, aduerſus quas dicit perſonis. Id enim magis indicant illæ vehemẽtiſsimæ inſectationes in Saſsiæ profuſam, petulantem ac indomitam libidinem: in Oppianici impia homicidia: in C. Staleni perfidiam, in proteruitatẽ Clodiæ, in Catilinæ inaudita ſcelera, in Gallorũ leuitatẽ, in Græcorũ Aſiaticorúmq; audadiã ac egeſtatẽ in cupiditatẽ Deciani & Lælij, in confictã Erutij criminationem, in lutulenta vitia Piſonis. *Cõpoſitio in genere demõſtratiuo qualis eſſe debeat.*

Atque ea mihi cauſa videtur, vt hoc in genere, quod ad oſtẽtationẽ nõnunquã cõponi ſolet, illuſtri dicẽdi figura, ſũmo ſermonis acumine cũ admiratione, gratia, delectatione cõparationib⁹, *Cõparatio, et amplificatio propriæ demonſtratiui generis partes.*

cretis amplificationibus, quę huius generis propriæ ſunt, ac omni denique eloquentiæ lumine vtamur.

Quid ſpectandū in genere demonſtratiuo. Rectè autem Ariſtoteles monet, animo & cogitatione percurrendum, qualem quiſque locus laudationem aut vituperationem recipiat, qui vulgo recepti mores, quæ patriæ inſtitura, & quales audientium ſint animi. Nam quod alicubi honorem & dignitatis gratiam meretur: id contrà aliis in locis inuidiã, criminationémque cõflare poteſt. Apud *Ægyptiorum inſtitutum.* Ægyptios viri penſa tractant, ab omni ciuili vſu remoti, eorum coniuges forẽſes actiones publicè tuentur. Idem apud nos etiam legibus damnatur. Senectutis *Senectutis veneratio & contẽptio.* ſumma ſemper veneratio Romanis fuit. At Caſpij ſexagenarios in altiſſimas ſolitudines compactos fãme ſitíque enecant. Illud etiam præceptione non arbitror egere, ne vllius rei vel perſonæ *l. ſemper de iur. in- uit. d.* frigida, ieiuna, & exilis ſit vel laudatio vel vituperatio. Nã qui frigidè laudat, *Laudatio frigida eſt inutilis.* aut nihil quod admiretur inuenire poſſe, aut non diſſimulanter lædere, aut laudis denique ac glorię alienæ inuidus videtur Et qui apertè vituperat, communi virtutis voluntate adductus, vel ideo popularem fauorem meretur, quòd à

Rep. perniciofum ciuem remouet, & quaſi innocentiæ legem ſibi indicit Si vero priuato incenſus odio liberius vituperet, hoc ipſo fidem amittit, quod ſit inimicus.

Eſt autem genus demonſtratiuum aliud docendi gratia inſtitutum, quod διδακτικὸν καὶ ἐπιστημονικὸν Græci vocāt, quo hodiè in familiarium congreſſionibus, amicorum conſultationibus, aut ſcholis publicis de rerum origine, natura, ac cauſa, de artium ſtudiis, literarū inuentione, Reip. ſtatu, Socraticorum more diſputantes vtimur. Cic. lib. Offic. primo orationis genus vocat, quod in ſermone verſatur. Alterum eſt noſtri inſtituti quo laudamus aut vituperamus. *Duplex gen⁹ demonſtratiuum.*

Eius formas tres facimus. { Perſonarum. Factorum. Rerum. } *Gen⁹ demonſtratiuū ἐπιδεικτικὸν triplex.*

GENERIS DEMONSTRA-
tiui perſonarum partes.

EXORDIVM.

Exordium commodiſſimè ducetur à dignitate eius quem ſumus laudaturi, cū *Exordiū generis*

inſigni aliqua & excellenti laudis ſignificatione, quæ ad ciuilis vitæ ſocietatiſque rationem, vel virtutum exemplum pertineat. *a* Hic præcipue audientium animos laudis pulchritudine, admiratione, ſpe, alacritate, atque expectatione fouebimus. Exempla dabit apparatus noſter, quem cōſcribimus de imitatione cùm elocutionis & rerum, tum verò Iuriſprudentiæ.

a Bart. in l. con. de no. cod. C.

NARRATIO.

Naratio qua perſonæ laudantur, hiſtorica quædam eſt expoſitio, & perpetua amplificatio, quæ tamen ſuam interim habet probationem, & tacitæ reprehenſionis defenſionem, vt ſi Romuli originem & educationem cœleſtem à Lupæ Fauſtuli vxoris commercio argumentis aſſeras.

Varia hominum laus eſt, nec vna ſimplicique tractari ratione poteſt. Proinde ea qui vti volet, cùm ipſa materia deliberabit.

Loci amplificationis petuntur à
- Fortunę corporiſque dotibus.
- Bonis animi

Fortunæ bona, vt ſolidam in ſe laudem non habent, ita laudari ob id poſſunt, quòd in eorum moderatione ipſa virtus magis eſfloreſcat. Animaduertit hoc Comicus poëta, qui cùm hominis bona faceret parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias, ſubiecit ea perinde eſſe, vt eſt animus illius, qui ea poſſideret. Qui vti ſcit, inquit, ei bona: illi qui non vtitur rectè, mala.

Sunt autem fortunæ dotes: Genus, Forma, Opes, Honores, Poteſtas, Robur, Velocitas.

Fortunæ dotes.

De gētilitate & imaginibus. c. in Piſonem.

Generis & familiæ decora, plurimum habent ornamenti, vel ad vitæ inſtitutionem, vel virtutis occaſionem. Pulchrum enim parentum imaginibus reſpondiſſe, ſuperaſſe honorificum, illuſtraſſe autem, & abiectam obſcurámque familiam è tenebris in lucē vocaſſe planè fuerit glorioſum. Vt autem maiorum præſtantiæ virtutis rerúmque geſtarū gloria egregiè antecelluiſſe honeſtum fuerit, ita etiam paren-

tum induſtrias contemnere, frugalitatẽ deſpicere, virtutem fœdiſſimis criminibus conſpurcare, deprimere, extinguere, nefas & vitium iudicatur. Tractauit hunc locum pro Murena Cicero, eiuſdẽ animi atque ingenij eſſe oſtendens, poſteris amplitudinem nominis tradere, & memoriam propè intermortuã generis ſui virtute renouare.

Forma. Formam ac pulchritudinem, quæ cũ dignitate ſit coniuncta, verborum honore proſequimur: quòd facit Iſocrates in Helena, Homerus in Agamemnone, Herodianus in Commodo Imperatore, Plin. in Minutio Aciliano laudando, Epiſt. lib. 1.

Opes. Opes ac diuitiæ principibus viris dignitatem, liberalitatiſque exercẽdæ materiam ac facultatem ſuppeditant, ferocibus autem ingeniis magnam ſæuiendi præbent occaſionem. Quo fit vt quæ ad liberalitatem, moderationem, bonitatẽ, & bene merendi gratiam fortunæ bonis vtatur, eum laudemus: contrà vituperemus qui propter diuitiarum affluẽtiam ſuperbiæ, libidini, ac inſolentiæ ſe dediderunt.

Honores. Honores ac magiſtratus laudantur, ſi quis rectè iis fuerit vſus. NEQVE enim

aliud vel magnificentius eſt, vel præſtantius, quam ciuitatis dignitatem, & Reip. bene cõſtitutæ ſalutem decúſque ſuſtinuiſſe, negotium ſine periculo, otiũ cum dignitate obtinuiſſe. *Otiũ cum dignitate*

Poteſtas magno ſemper honori illis fuit, qui in Reip. adminiſtratione, adeóque communi generis conciliatione, æquitatem, moderationem ac facilitatem cum gloria & beneuolentia ciuium exercuerunt. SOLET FERE potẽtia quæ ſuperbiæ & inſolentiæ plena eſt, humana, ingenia peſſimis cupiditatibus ſubuertere. Quod Dionyſij, Alexandri, Pharæi, Demetrij, Phalaridis, Neronis, Syllæ, cæterorúmque nobilitatæ crudelitates docent. EST ENIM DIFFICILE in magna potentia & libertate illam virtutis altricem æquitatem ſeruare, & ſuis quaſi frenos imponere cupiditatibus: propterea quod omnes ſe rè, vt aduerſas, ſic proſperas, & noſtram ad voluntatem fluentes res immoderatè ferimus, magnis affectibus perturbati: & quo maiore quiſque principatu excellit hoc ſe impotentius gerit: vt qui in maxima poteſtate rerum omniũ moderationem ſeruarint, eos iuſta laudatione proſequamur. Sed hæc laudantur, quod

Poteſtas multorũ ingenia ſubuertit.

Sentẽtiæ.

Difficillimum in maxima poteſtate rerũ omnium moderationẽ ſeruare.

virtuti, cui vni laus omnis debetur, & præter quam nihil rectè laudari poteſt, ſummum addunt ſplendorem, cùm iis rectè vtamur.

BONA ANIMI.

Animi bona. Solidam conſtantem, & omni ſeculorum memoria victuram laudē habent. Nam ſicut in iis quæ vel fortunæ begnignitate hominibus cōtribuūtur, vinci non turpe eſt, nec valde glorioſum cæteris antecellere: ita quæ ſua quiſque induſtria in gloriā virtutiſque admirationem prouexit, ea popularem apud omnes laudem merentur, eóque fit vt animi quàm corporis bona, gratia excipiātur iluſtriori, ſed animi duplici ratione tractantur. Nam alias virtutes eas, quæ in vitæ cōmunitate ac beneficentia ſunt poſitæ, in multas formas partimur, ſua ſingulis attribuentes officia, cōmunitatémq; ac differentiā. Qui locus vberrimā ad dicendū copiā ſuppeditat: qualis eſt illa popularis virtutū Cn. Pompeii laus apud Ciceronem. Et quia animos noſtros vehemētius excitat, eorum quæ illuſtria ſunt, in memoriā traducta imago, viſum eſt hic virtutis formas tanquā in tabula ſpectendas proponere.

Soli virtuti laus debetur.

- **Virtꝰ**
  - Prudẽtia virtutum omnium princeps.
    - Memoria.
    - Intelligẽtia.
    - Prouidẽtia.
  - Iuſtitia in qua virtutis ſplendor eſt. Fides et beneficẽtia.
    - Naturalis.
    - Scripta.
      - Religio,
      - Pietas
      - Gatia
      - Vindicatio.
      - Obſeruantia.
      - Veritas.
    - Vetuſtate formata.
      - Pactum.
      - Par.
      - Iudicatum.
  - Fortitudo quæ ex rerũ humanarũ contemptione animíque magnitudine naſcitur.
    - Fidentia
    - Magnificentia.
    - Patientia.
    - Perſeuerãtia.
  - Tẽperãtia quæ vitæ habet ornamentum.
    - Cõtinentia.
    - Clementia.
    - Modeſtia.

ALIAS ætatis gradus rerúmque geſtarum ordinem complectimur.

I. Natales, Quibus auguria futurã claritatẽ promittentia adiicimus, vt Platonis, Herculis, Ciceronis apud Plutarchũ, Midæ regis apud Eraſmũ in Chiliadibus, Romuli & Remi apud Liuium. Familiaris hic locus eſt cùm oratoribus, tum poëtis, & hiſtoriographis. Fit autem illuſtrior temporis & loci circunſtantiis, quarum non ſimplex eſt commendatio.

Aetatis gradus ſeu loci perſonarũ.

II. Educatio. In qua ſpectamus indolem ac primã inſtitutionẽ: quæ haud dubiè magnam veræ exurgentíſq; virtutis ſignificationem præbent. SOLENT enim fluxa puerorum ingenia, ad eorũ mores & naturã deduci, quorũ ſunt præceptis imbuta. Et Cicero pro M. Cęlio eos ſcribit ad maiorem vitæ frugẽ peruenire, qui rectè & liberaliter ſunt inſtituti. Fuitque eã ob cauſam prima veteribus ratio pueritiæ rectè & ab optimo

quoque præceptore inſtituendæ. Sic enim Achilles Phœnicē, Agamemnō Neſtorem, Alexander Ariſtotelem, Zenonem, Cicero Diodorum præceptorem habuit. Perſæ ſtatim educatum puerum docebant iuſtitiam publicè & priuatim colere. Extāt in hāc ſententiam multa apud Plat. lib. de Rep. 2. & 3 Fab. Quintil, li. 1, Eraſmum & Alexandrum ab Alexandro lib. genia. die. 2. ca. 25. Incidunt autē loci communes de pietate in deos & maiores, de æqualium conſuetudine, quæ ferè ingenium arguit, de ęmulatione, cuius multa apud Plutarchum in vitis extant exempla, de admiratione & pudore, qualis fuit in Pamphilo Terent. Quanquam & ea nos ſpes interim fallit. Cuius rei exēpla multa apud hiſtoriographos extant: pleráque etiám apud Quitil. lib. inſti. Rhet. 1.

Adoleſcentia. cuius officia ac decora pręter Platonem & Ariſtotelem ſcribit Cicero lib. officiorum. 1. Profert autem atque producit primos vitæ fructus, & exurgentis virtutis ſpē certiſſimam offert. Laudantur in ea conſuetudo bonorum virorum, ęmu- III.

latio, atque amor honeſti, continentia vitæ, magnitudo animi atque conſtantia, quæ rarò contigit: moderatio affectuum, qui ferè impotentiores ſunt in adoleſcentia. Nam aut odio nimio, aut amore flagrant, Poſtremò pudor ingenui & liberalis animi index, præcipuè in Scythis ac Perſis laudatus, quorum ephebi pro lege ſeruabãt, ne in publico aut ſpuerẽt, aut naſus mungerent, aut in parẽtum cõſpectu conſiderent. Extant de affectibus adoleſcentium multa apud Ariſtotelẽ lib. 2. cap. 13 Rheto. ad Theodectem.

IIII. Iuuentus. In qua laudam' quicquid cum uirtute, animi magnitudine, ſapientia, fide, dignitate, ac felici rerum ſucceſſu geſtum eſt, Hic locus amplificabitur exortatione, obiurgatione, affectibus, locis communibus, cæterorum imperatorum ac præſtantium virorum comparationibus: quæ omnino in hoc genere longè ſunt ſpecioſiſſimæ. Nam latentem rerum vim atque naturam inueniunt & expendunt.

V. Senectus. Senes honorificè prædicãtur, quod conſilio, prudentia & fide Rẽpub. auxerint: honoribus & ciui-

tatis muneribus cum gloria ac dignitate fuerīt perfuncti. quod de iure reſpondendi grato ſenectutis non inertis munere fuerint perfuncti, habuerintque in omni vita omnes corporis animique voluptates domitas, nullo vitæ ſtatu deiecti.

De honore impēſo ſenibus à iuuenib⁹, vide Valer. c. 2. cap. I.

Mors eorum laudatur, qui in patriæ periculis propulſandis hoſtiū telis confoſſi ceciderunt, aut quibus poſt mortē diuini honores fuerunt relati. Nam honeſta mors (vt eſt apud Cic. pro Publ. Quintio) vitam turpem ſæpe exornat. Et qui pro Rep. ceciderūt, in perpetuū per gloriam viuere intelliguntur *b*. Precipuè tamen eorum mors nulla ſeculorum obliuione intermoritur, qui ingenij monimenta reliquerunt poſteritati.

V I.

b Inſt. §. Hí enim. de excuſ. tut. vel curat. l. qui actione §. ſi quis ī colluctatione ad l. Aquil. d.

Contentionem diximus paſſim ſpargi in ipſa amplificatione, quæ collationib⁹ creſcit, & hui⁹ generis propria eſt. Verū hic obſeruabimus, vt eas præſertim res dicendo extollamus, quę aut ipſa magnitudine ſunt excellentes, aut nouitate admirabiles, aut genere ipſo eximiæ ac ſingulares.

Amplificatio propria generis demōſtratiui.

Vituperandi præcepta ex contrarij ſumentur vitiis. Nam vt maiorum ima-

Vituperādi præcepta vnde.

Vituperãdi præcepta vnde.

gines laudi aliis, ita probro pleriſque generis humilitas fuit. Adoleſcẽtia ſpurciſſimis vitiis ac profundiſſimis voluptatibus demerſa, fracta libidinibus iuuentus, exhauſta ſenectus, mors funeſta. Omnia denique induſtriæ ſubſidia, omnia fortunæ ornamenta, omnia virtutis inſtrumenta, in libidine, voluptatibus, ac ſcelere attrita atque decocta. Cic. Piſonis frontem, ſeruilem colorẽ, piloſas genas, dentes putridos, infantiam, ſtuporem ingenij ac tarditatem, linguæ debilitatem, libidinum ſordes, ganearum nidorem, cæteráque cũ corporis, tum animi lutulenta vitia miris conuitiis & vehemẽti increpatione perſtringit. Sed hæc tractaturo cognita eſſe debet virtutum vitiorúmque natura, quam ipſa illa laudãdarum artium omnium procreatrix & parens philoſophia explicat.

PERORATIO.

Peroratio.

Peroratio habet breuem enumerationem & affectus, quibus rebus lætis congratulationem, afflictis & triſtibus conſolationem commiſerationémque attribuimus.

DE STATV.

Status in hoc genere plerumque eſt qualitatis. quamquam & alij incidere poſſunt. Is vt Rodolpho Agricolæ placet, ex perſonarum, rei, & conatus diligenti conſideratione erit ducendus: vt oſtendamus meritò honorem ei haberi, qui pro Republi. otium deuouit ſuum. Hęc quęſtio pro re, loco, perſonis & cęteris circunſtantiis mutari poteſt. Habes huius generis themata apud Ciceronē & Thucydidem. *Status generis demonſtratiui.*

Finis generis demonſtratiui eſt honeſtas.

GENVS DEMONSTRATIVVM FACTORVM.

Generis demōſtratiui factorū partes.

Hoc in genere verſamur, quoties fortiſſimorum virorum præclarè facta aut dicta illuminata oratione extollimus, au gratias agimus, aut congratulamur, concitamus, mitigamus &c. quorum omnium vſus eſt in populi concionibus & in epiſtolis frèquentiſſimè.

DE EXORDIO.

Exordiũ generis demonſtratiui factorum vnde ducatur.

Iiſdem exordiẽdi rationibus quas ſuprà tradidimus vti licebit. Sed cùm pleniſſimam laudis venerationem habeant quæcunque excellenti animi elatione & magnitudine, ſine vlla priuati commodi ſpe, & aliquo etiam vitæ cum periculo in ciuium ſalute propugnãda fuerint ſuſcepta, aut in quodam virtutis ſplendore ac pulchritudine poſita, profuerit ab eorum commodis, apud quos dicimus exordiri: vt intelligant facti laudationem cum ſuæ Reipub. dignitate eſſe coniunctam. qui locus præcipuus eſt demerendi fauoris.

Attentionem rei vel magnitudo vel nouitas: docilitatem facti ipſius natura, vtilitatiſque expoſitio faciet.

DE PROPOSITIONE.

Propoſitio narrationis vice fungitur.

Narratione in hoc genere rarò vtimur, niſi apud eos qui rei geſtæ hiſtoriam planè ignorant. Propoſitio igitur narrationis vice fungitur: vt Cicero pro M. Marcello oſtenſurus nullam Cęſaris laudẽ Marcelli reſtitutione maio-

rem eſſe, ſic proponit: Nullum tantum eſt flumen ingenij &c. Talis eſt & in oratione quam habuit ad Quirites. Et laudaturus L. Mumium ſic proponit: Inter ea quæ vel publicè, vel priuatim ſingulari laudis ac virtutis admiratione ſunt geſta, non aliud factum pleniorem officij gratiam mereri, quàm quòd L. Mumius Coryntho Aſiæ vrbe copioſiſſima ſublata, totam Italiam magis quàm domum ſuam exornare maluerit.

DE CONTENTIONE.

Contentionis nomine complectimur confirmationem eorum quæ propoſuimus, & excuſationem, qua ea quæ obſtant defendimus: vt ſi quis Q. Mutij Scæuolæ factum laudaturus dicat: Patriæ ſeruitutem atque obſidionem depulſam eſſe ſumma animi excelſi atque inuicti magnitudine, nulla cum ſuſpicione audaciæ aut temeritatis. Ita Horatij Cocletis, M. Marcelli, Deciorũ, cæterorũq; illuſtria facta, magnos & fortes animos ab immanitatis, audacię, arrogãtiæ, ptinaciæ, crudelitatis, pfidiæ, cõfidẽtię, irę ambitiõis, & ſęuitię, vel reprehẽ- *Illuſtria non nulla facta.*

dum pons igne ferróque interrumpe- retur, hoſtium impetus excepit, cóque facto vrbem conſeruauit. hoc igitur fa- ctum publicæ fuit vtilitatis. *Horatij Corlitis fortitu- de.*

A difficultate perfecti operis, quæ propter incertum ſæpe euentum laudẽ admirationemque habet. Rupto ponte ac inciſo hoſtibus aditu, ipſe cùm ruẽ- tis pontis fragore in Tyberim armatus deſiliens, incolumis ad ſuos tranauit. Hi loci amplificantur à ſuis circunſtã- tiis, & decreto virtutis præmio.

Cicero pro M. Marcello à natura facti primam confirmationem ad hunc ferè modum facit: Hoc factum quo Mar- cellum reſtituiſti, ſolius animi tui for- tis atque excelſi eſt Cæſar, reliquarum laudũ ſocietas cum fortunà coniicatur, Item Plus laudis atque dignitatis apud hominum animo meretur, cum benefi- centia, benignitate ac clementia quod fit, quam animo forti atque elato. qui loci ſunt ab honeſto, pio, moderato.

A DIFFICVLTATE.

Difficilius eſt animi ſecundo & pro ſpero rerum ſucceſſu inſolentis cupidi- tatem vincere, quam hoſtes.

AB VTILITATE.

Cic. in orat. pro M. Marc

Hoc beneficio quo Marcellum reſtituiſti Cæſar, cunctos ciues diuerſam partem ſecutos quaſi ſigno dato, in certam clementiæ tuæ ſpem erexiſti : quod fuit ex vſu totius Reipub.

Contrarij loci ſunt in diſſuadendo.

Ex contrariis locis argumentatur idem in Piſonem : Oportuit ſobrium ac prudentem Conſulem tueri leges & ſenatuſconſultum. At tu Piſo ludos Cõpitalitios fieri, legem Aeliam & Fuſiam euerti, collegia reſtitui, illiberalia facinora ex omni vrbis fæce ac ſeruitio cõcitari, Clodium prætextatum volutare contra ſenatuſconſultum es paſſus. Qui locus eſt ab inhoneſto & indecoro. Deinde ſubiicit, Conſulis eſt videre ne quid detrimenti reſpubli. capiat. Tu in maximis ciuitatis naufragiis, in ſtupris inauditis, nefariiſque deliteſcens, ne verbo quidem tuã ſignificaſti ſentẽtiã. Nihil vtilius, nihil præſtantius ad ciuitatis dignitatem cõſeruandam fuit, quã vt noſtris de morib9 quinto quoque anno iudicaretur. At tu veterem illam magiſtram pudoris ac modeſtiæ ſeueritatem Cenſoriam ſuſtuliſti. Eſtque hic locus

cus contrarius vtilitati. ſed hæc amplificantur collationibus, locis communibus ad excitandam vel diminuendam inuidiam.

PERORATIO.

Perorationis partes erunt, præclariſſimorum facinorum enumeratio, & affectus ad conuertendum audientis animum in admirationem, congratulationem, egregij facti æmulationem, aut in odium, contemptionem, ac inuidiam eius quod reprehendimus. *Peroratio enumeratiōe & affectib⁹ conſtat.*

DE GENERE DEMONSTRATIVO RERVM.

Multiplex huius generis eſt vſus, eóque iuuētutem in eo quam diligentiſſimè exerceri velim, quò vberiorem in literis frugem, & vitæ dignitatem maiorem, ex virtutum vitiorúmque collatione vel cognitione conſequatur. Induit enim animos noſtros virtutis imagine, atq; ad honeſti nos ſtudiū inflāmat diligēs illa & aſſidua rerū pulcherrimarum cōmētatio. Vt enim apud Platonē Socrates, eū optimè verū dicere poſſe dicebat q̃ mētiēdi artifex eſſet optim⁹: ſic nemo *Generis demōſtratiui qualis eſſe debeat tractatio.* *Socratica ſententia*

rebus gerendis ac fugiẽdis vtilior erit, quã qui virtutes vitiáque probè cogno rit. Abeſſe enim nõ poteſt, quin ſicut in ſole inambulantes, natura fit vt colorentur, ita qui tota ſe mente ac volũtate in virtutum tractationem coniicit, multa prudentia ac rerum vſu exerceatur. Eſt autem laus non modo rerum animatarum, qualis eſt apum apud Vergilium. Equorum, Luſciniæ, Delphinorum, Teſtudinis apud Pliniũ, Pſitaci apud Ouidium: verum etiam earum rerum quæ animæ ſúnt expertes, vt clementiæ & beneficij apud Ciceronem, occaſionis apud Auſonium, virtutis & voluptatis apud Xenophontem, hiſtoriæ apud Politianum, matrimonij, medicinæ, miſericordiæ apud Eraſmum, quem nàtura ad omnem ingenij gloriam magnum atque excelſum finxit.

Cic. 2. de orat.

EORDIVM.

Generis demõſtratiui rerum partes.

Breuiora ſunt in hoc genere exordia. nam ipſa rerum magnitudo, vel excellentia, quarum laudes ſumus explicaturi, popularem ferè gratiam, conciliationem, atque attentionem apud omnes habent: & proinde laudabile erit exor-

dium ab inſigni & rara quadam ſuſcepta rei laude atque vtilitate ductum. In laudatione eius rei, quæ ſua natura parum eſt honeſta, excuſanda erit & mollienda ipſa rei fœditas colore quodam & inſinuatione.

NARRATIO.

Narrationis vice propoſitio erit: cui partitio (ſi res ſit multiplex) ſuccedet.

CONFIRMATIO.

Iidem hic ſunt loci, qui in facti demonſtratione: niſi quòd in locorum laudatione præcipuè tractantur, ſpecies, honor, pulchritudo &c. vt in laude Siciliæ apud Ciceronem.

Frugalitatis dignitatem argumentis demonſtraturi dicemus, ex omnibus virtutibus quibus ciuilis vitæ ſplendor cõmẽdatur, aut effloreſcit fortunæ amplitudo, nullam frugalitate præſtantiorem laudabiliorẽ que eſſe: quòd ſine ea nullum honeſtũ officium cũ aliqua dignitate aut facere, aut meditari queamus: quòd eius ſepti præſidio magnos atque elatos animos aduerſus fortunę inuidiã

Frugalitatis bona. Ex honeſto.

rerum tenuitatem, inopiam, obſidionem hoſtium geramus: nec proſperis in rebus in voluptatum libidines illabamur, nec frangamur aduerſis: referamúſque cuncta ad vitæ gloriam atque ſplendorem. Hic locus collatione contrariorum amplificatur, quòd nihil ſit turpius, nihil quod in belluarum naturam magis nos detrubet, quã voluptatum libidinibus, molli ac delicata vita affluere: in vino, in commeſſationibus, in ſcortis patrimonium profundere, opes magno aliorum labore partas in ganeis ac luſtris decoquere, fortunas turpiter obligurire, abiicere rẽ domeſticam: nihil præter inguinis & ventris oblectationem ferarum more quærere &c.

Ab vtili. Vtilitatis locus erit, frugalitate corporis valetudinem, animæ verò innocentiam conſeruari, ornari adoleſcentiam, iuuẽtutem magnis viribus augeri, ſummum ſenectuti parari præſidium, rebus domeſticis fructum ac laudem, publicis dignitatem: foueri pudicitiam, matrimonij ſacramentum conſeruari inuiolatum, arceri denique ingenia humana à conſpurcatis voluptatum ſordibus ad continentiæ laudem amplectendam.

Creſcunt hæc atque amplificantur contrariis vitiis, veterum exemplis, qui frugalitatem legibus ſumptuariis latis excoluerunt.

Vituperatio iiſdem locis tantum in diuerſum colligitur. Habes ebrietatis vituperationem ac mala apud Plinium naturalis hiſto. lib. 14. c. 22.

CONFVTATIO.

Confutatio locis contrariis conſtat.

PERORATIO.

Eadem hic erit perorandi ratio quam ſupra tradidimus.

DE GENERE DELIBERATIVO.

Genus deliberatiuum, ſuaſionem & diſſuaſionem, conciliationem, reconciliationem, exhortationem, dehortationem, petitionem, conſolationem, commendationem habet. Vtile imprimis cùm ad vrbium rerúmque ciuilium adminiſtrationem, tum propè neceſſarium poëſeos, hiſtoriarúmque ſcriptoribus, *Genus deliberatiuum.* *Vſus generis deliberatiui.*

nedum oratoribus. Omnem enim orationis vim, ſentẽtiarum grauitatem, rerumque complectitur varietatem.

Finis generis deliberatiui. Verſatur autem maximè circa dignitatem: quæ ipſa honeſtatem & vtilitatẽ complectitur.

Habet autem deliberatio omnis popularem quandam eorum conciliationem, quorũ aſſenſum mereri conamur. Et quia magnarum rerum conſultationes, prudentia, fide, ac moderatione explicantur, nihilque recti ſtatuere poteſt animus affectibus concitatus, fit natura, vt hoc in genere verborum lenitate, oratione ſimplici, temperata, affluenti, ſententiis quàm verbis ornatiore vtamur, qualis eſt oratio Ciceronis pro lege Manilia. Sed quando rerum quæ in deliberationem adducuntur, conditionibus ac naturæ orationis collocationem accommodari cõuenit, genus quoque dicendi propter conſultationis magnitudinem, populi dignitatem, grauiſſimámque Reipub. cauſam grandius quoddam & illumnatius interim adhibemus: vt deliberantium animos affectibus (qui hic plurimum valent) cohortatiõe, ſpe, metu, expectatione permotos, à temeritate, deſperatio-

Conpoſitio generis deliberatiui.

Affectus plurimũ in genere deliberatiuo ſ[?]a lere.

ne, iracundia, ambitione, in quemcunque velimus animi habitum conuertamus. Qua in re non ſimplici diligentia circumſpiciendum, vt ingenij, iactationis, arrogantiæ, cupiditatis, criminationis, ac inuidiæ ſuſpicionem omnem fugiamus, & ne quid cupidè, ne quid aſperè, ne quid ſuperbè, ne quid turpiter & cum aliqua deliberantium offenſione effutiamus, niſi forte eiuſmodi humani veluti erroris lapſus authoritatis noſtræ, quæ nuſquam magis atque in conſiliis valet, ſplendore atque exiſtimatione corrigi poſſit.

Vtilis notatio.

Authoritas præcipue in cõſilis valet.

Conſtitutiones omnes in hoc genus incidunt: frequentius coniecturalis & qualitatis, rarius definitiua. Deliberatio enim omnis incertæ eſt rei, & in cõtrouerſiam cadentis. Prima enim faciẽdi quæſtio conſultaturo offertur, vt, ſitne vxor in vitæ ſocietatem admittẽda? Hac inſpecta diligenter, animique iudicio excuſſa, quæritur, qualiſnam vxor ſit ducenda, pulchrane ac liberalis, an deformis, cui, quando, & qua conditione. Interim tamen deliberamus quid ſit hoc, quod faciendum proponitur.

Cõſtitutiones omnes in genus deliberãtium incidunt.

DE ORATIONIS PARTIBVS.

Exordium quanquam non admodum ſit in deliberationibus neceſſarium, propterea quòd ferè nobis quos conſulimus communi quodam voluntatis iudicio ſint conſiliati: quãdo tamẽ hæc rerum naturæ admirabilis eſt prudentia, vt omnia quæ naſcantur, quæque ſe in vniuerſum profundant, ſuis prætexuerit initiis, veluti rudimento quodam, nec vlla ſit materia, quæ naturali exordio careat, non conuenit orationem, quæ humanæ coniunctionis cõciliatrix eſt, abruptam eſſe & inchoatam, cùm præſertim oratoris ſit, humana maximè & ciuili ingreſſione conſultantium voluntatem conſenſionémque ſibi acquirere. Breue igitur ac verecundũ ſit principiũ, non elatis ac ſonãtibus intẽſum verbis, ſed ſententiis graue, cõpoſitione moderatũ, vel ad officij cõmentationẽ, vel modeſtã aliquã eorũ increpationẽ, qui nobis in diuerſam ituri ſententiam videntur. Loci huius ferè ſunt, vt dicamus ex officio nos agere, nulla re niſi vtilitate publica cõmotos, non metu, nõ odio, nõ indignatione in hãc vel illam partẽ cõſulturos, ſed libero &

Partes generis deliberatiui.

Quale exordium in deliberationibus eſſe debeat.

recto animi iudicio, quæ ad Reipub decus pertineant in medium prolaturos. Tale fere eſt Cæſaris exordium apud Saluſtium. Breuius tamen, vt dixi principium velut caput eſſe debet, & docilitate potiſſimum conſtare.

PROPOSITIO.

Narratio eius præſertim rei, de qua dicenda eſt ſententia, in priuata deliberatione nulla eſt, ſed propoſitio. Vtimur tamen narratione ea, quæ ordinem rei docet: vel cùm aliquid eſt geſtum, ex quo conſultatio naſcitur. Nam & Cicero pro lege Manilia belli occaſionem, ex qua deliberatio de Pompeio imperatore deligendo naſcebatur, vtiliſſimè expoſuit. Sequitur hanc nonnunquam partitio: qualis eſt in eadem oratione apud Ciceronem, Primùm mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. In priuatis maximè conſultationibus ſola propoſitione erimus contenti. *Narratione ferè deliberatio caret.*

CONFIRMATIO.

Poſſet ſola honeſti contemplatio in deliberationibus quid expetendum

ſit, aut fugiendum nos commoneface-
re, niſi falſis quibuſdam non modo vul-
gi, ſed etiam hominum leuiter docto-
rum opinionibus oppreſſi, & quadam
etiam priuati ſpe commodi impulſi in
hanc abſurdam ignorationem dilabe-
mur, vt iam ipſi nobis perſuadeamus ne-
glecta vtilitate (cuius ferè ſpecie dece-
pti à rectis officiis deducimur) ne hone-
ſtatem quidem retineri poſſe. Aliò enim
nos ducit priuati commodi ſtudium, ac
res familiaris: aliò item humanitas,
quæ ſola honeſti nititur contemplatio-
ne: eóque fit, vt frequenter deliberemus
vtrum ſit melius: quod cùm conuenit,
contẽdimus honeſtas ne potius, an vti-
litas ſit ſequenda. In illa præclara virtu-
tum exempla, in hac rerum earum com-
moditatem, quarum fructum emolu-
mento aliquo metimur, ſpectamus. Et
multa ſanè natura ſunt honeſta, quæ ta-
men temporibus inhoneſta fieri credũ-
tur. Quare & nos populari vſi oratione
ſecundum communem magis intelle-
ctum hos locos ſeparabimus: tametſi
doctiſſimæ aliquot huius argumenti
quæſtiones apud Ciceronem libro of-
ficiorum tertio referantur.

Falli nos vtilitatis ſpecie.

Loci cõfirmat.onis generis deliberatiui.

Sunt itaque confirmationis loci præcipui { Honeſtas. / Vtilitas. / δυνατόν.

Honeſtas eſt, quæ ipſius virtutis ductu innixa, partim in noſtra, partim verò in ei⁹, de qua deliberatio inſtituitur, cauſa ſpectatur. Eius ſint partes, fas, piũ, iuſtũ, ęquũ, bonũ, mãſuetũ, religio, patria, inſtitutum, &c. Verſatur enim totum hoc genus circa res expetendas aut fugiendas. Expetimus autem quædam ob ſolam ipſam dignitatem, qualia ſunt virtus, ſcientia, veritas: quædam ob vtilitatem complectimur, veluti amicitiam, honores, opes &c. Ab honeſtate Cicero pro lege Manilia ad hunc ferè modum argumẽtatur: Omne bellum ſuſcipiendum, in quo Roma. populi dignitas, ciuium bona, ac ſociorum fortunæ defenduntur: hoc in bello Roma. populi dignitas, ſociorúmque defendũtur fortunæ. hoc igitur bellum ſuſcipiendum. Porrò honeſtatis naturam & officia explicant definitiones, ex quibus argu-

menta commodiſſimè eruuntur.

Vtilitas in quibus ſpectetur. Vtilitas ferè ſpectatur in pacis, opum, pecuniæ, vectigalium & eiuſmodi rerum commodis. Eius partes plerique faciūt, magnum, paruū, facile, difficile, iucundum, periculoſum: qui loci omnes ex contradictione oriuntur. Nā ſicut honeſtas vtilitate ſæpe expugnatur ita vtilitas contrariis colliditur locis. Vtile quidem ferocem expugnare Turcam, ſed difficile: pulchrum imperio regere populum, & conſilio adminſtrare vrbem, ſed miſera eſt & plena criminationis adminiſtrandæ Reipub. conditio. Vtilitatem igitur ex circumſtantiis erutam, veluti tempore, loco, belli apparatu, commodo, incommodo, fructu bellum ſecuturo, & huiuſmodi aliis, quorum collatione ipſa rei vtilitas in communis ſenſus iudicium obrepit, diligenter ponderabimus. Neque enim aliud ferè eſt deliberatio, quàm rerum expetendarū vel fugiendarum comparatio. *Deliberatio quid ſit?* Verum vtilitatis rationem ex officiis, partibus, effectis, vſu agendi, genere, modo, & id genus aliis trahimus. Annotauimus exempla in commentariis orationis Cice. pro lege Manilia, plura dabit Liuius.

Δυνατὸν, Latini poſſibile vocant, quo videmus quid fieri poſſit, quid neceſſe ſit, aut non ſit. Perit enim ac inciditur deliberatio omnis, ſi id de quo conſulimus, fieri non poſſe intelligamus. Sunt autẽ hi confirmationis loci paſſim exẽplis, quæ huius generis propria exiſtũt, approbandi: quod & Ciceroni ſtudio fuiſſe eius orationes atteſtantur. Nam exempla certiſſima ſunt rerum experimenta & quædam quaſi vitæ ac rationis documenta, quibus permota mens humana, & quaſi rerum imagine percuſſa, vehementius ad conſentiendum impellitur, & alieno ex periculo ſua cõparat commoda. *Exempla generis deliberatiui propria.* *Exẽplorum vſus*

Sed nõ omnes ſuadendi & diſſuadẽdi partes in omnem cadunt materiam, quare cum vtilitate cauſæ deliberandũ, quibus rectè vtamur.

Prudenter Ariſtoteles admonet, in concionibus & omni recta conſultatione primùm eius naturam, quò deliberatio omnis refertur deinde exiſtimationem, cùm deliberãtium, tum etiam ſuadentis animaduerſam, magnã æſtimandi copiã præbere. Illud autem, propter quod deliberatio inſtituitur, locis illis quos enumerauim⁹ excuti. Deliberãtiũ, *Quid obſeruare in conſultationibus cõueniat.*

verò atque ſuadentis exiſtimationem dignitate, honoribus, ſexu, ætate, moribus, præcipuè tamen authoritate, in qua vitæ ſplendor elucet, commendari. Adhibendum etiam, ſi vſus ferat, & poſtulet conſultationis magnitudo, metum, qui plus ſæpe apud prauos homines, quam bonorum ſpes valet. Sed ſuaſuri parum decora, quod fieri niſi publicæ vtilitatis cauſa nūquā debet, vtemur colore, id eſt facti probabili cauſa, Græcis τὸ χρῶμα dicitur, vt quod natura turpe eſt, honeſti colore ac facie induatur. Extat huius exemplum lib. Pandect. 5. l. Hoc colore. Titu, de inofficioſo teſt.

Metus interdū deliberationibus adhibendus.

Color rebus deformibus dandus.

Nuſquam pleniorem gratiam, maiorémque facultatem habent facetiæ, & verborum vrbanitas cum dignitate ac lepore prolata, atque in genere deliberatiuo. Nam triſtes plebis animi, languentes aut cōcitati, facillimè eiuſmodi acuto ac hilari dicto ad affectuum moderationem deducuntur. Facetias autem dicimus iocum liberalem, ingenioſum, vrbanum, non petulantem aut obſcœnum.

Facetiis ī genere deliberatiuo vtendum. De facetiis C. 2. de Ora.

Sed & proſopopœiæ, quæ in omnes cadunt materias, hic plurimùm valent. Habent enim acrem vitiorum repre-

Proſopopœiæ.

henſionem, adhortationem, obiurgationem, vitę morúmque correctionem: & prauas hominum cupiditates, nulla ferè cum offenſione, aut bonæ gratiæ iactura, vehementi increpatione perſtringere creduntur.

CONFVTATIO.

Confutatio ex contrariis ducitur locis, vt oſtendamus in honeſtum, impiū, iniquum, inutile, difficile eſſe, & fieri non poſſe quod in deliberationē venit. quorum omnium ratio ex iis quæ diximus pendet.

CONCLVSIO.

Concluſione enumerabimus præcipuos aliquot cōfirmationis locos, quibus ipſa rei & honeſtas & vtilitas oſtenditur, additis affectibus ad permouendas deliberantium mentes.

DE GENERE IVDICIALI.

Iudiciale genus cauſarum habet cōtentionem, conſtátque accuſatione & *Genus iudiciale.*

Genus iudiciale.

defenſione, querela, expoſtulatione, expurgatione, exprobratione, comminatione, inuectiua, & deprecatione. Huius tractatio ex omni humana induſtria longè maximi eſt operis, Nam & rerum probationem, atque argumentorum inuentionem habet difficillimam: & eorum quibus aut noſtra cõfirmaturi, aut contradicta ſumus diſſoluturi, multiplicem atque diligentem pro re, pro loco, pro tempore collationem. ELOCVTIONEM omnibus figuris ac tropis, omni ſententiarum ſplendore ac pulchritudine illuminatam. Actionem vehementem, plenam ſpiritus & animi, præcipuè tamen pugnandum atque acri & vehementi quadam animorum incitatione dicendum contra tabulas, teſtium fidem, cõuenta, præiudicia, cognationes, affinitates, vitam denique aduerſariorum: rapiendi auditores ac contorquendi in iram, concitationem animi ac remiſſionem. Beneuolentia ex odio, odium ex beneuolentia quærendum: extorquendæ etiam celeri orationis vi de iudicum manibus ſententiæ, magni illius Oratoris exemplo, qui defenſionem ac ſalutem Q. Ligarij, Cornelij Balbi, & Cluentij,

Difficultas generis iudicialis.

Cluentij, permotione iudicum, ac quodam animorum impetu, magis quam iuris formula aut legibus propugnaſſe cōmemoratur. Excitandi præterea riſus, ſtrepitus, lachrymæ, vt quibus cauſæ cognitio datur, non tam ſponte iudicióque voluntati noſtræ ſuam condonent iudicandi religionem, quàm mentē veluti capti in quoſcúnque velimus affectus irrumpant. Atque in his vniuerſa propemodùm oratoris facultas conſumitur, & paratur admiratio: quando eiuſmodi animorum perturbationes pręcipuè inclinantem vel erigunt, vel deiiciunt ſtantem, vel frangunt repugnantem, opiniones inſerunt nouas, euellūt inſitas. Quarum vſus quoniam crebrior in hoc genus incidit, fit quoque vt ipſa orationis compoſitio ſit torrens, concitata, in vnoquoque argumento graui commorans, acriter inſequens, atque etiam ſupplicans, terrens, præmunita, & ob crebras argumentationum conflictiones plerúmque confragoſa, ſumma tamen varietate, nulla orationis ſatietate expolita.

Ciceronē admirabiles affectus concitaſſe.

Compoſitio generis iudicialis.

Cauſarum conſtitutiones in hoc genus omnes incidunt, finem eius eſſe pleríque putant æquitatem.

Status et finis generis iudicialis.

Prudens ac diligens orator, antequam orationem inſtituat, cauſę genus, cui exordiendi ratio accommodatur, animo percurſum habere debet: quò rectius ipſius ex natura, veluti neruis ac viſceribus procœmium ducere queat.

Cauſarũ genera.

CAVSARVM GENERA.

Sunt autem cauſarum genera ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον, id eſt, honeſtum, humile, anceps, admirabile, obſcurum. Honeſtum ſua natura, nullis externis ſeptum adiumentis ad acquirendam beneuolentiam ſatis valet. Humile, attentionis. Anceps, beneuolentiæ. Obſcurum, docilitatis conciliatione iuuatur. In admirabili, aut turpi cauſæ genere, remediis vtendum: eóque exordium Rhetores in rectum principium & inſinuationem diuidunt.

DE EXORDIO.

Principium latinè vel exordium, quod Græci ſignificãtiore vocabulo προοίμιον vocant, primam orationis commendationem veluti aditum ad cauſæ quæ tra-

ctatur communitionem, dignitatem atque gratiam acquirendam habet. Eius ratio præcipuè commendatur dicentis modeſtia, officij religione, ipſa denique rerum verborúmque compoſitione fuſa, ac quadam cum lenitate profluenti. *Quibus exordium commendetur.*

Conſtat autem locis { Beneuolentiæ, Attentionis, Docilitatis. }

Beneuolentia acquiritur à rebus, & perſonis: éſtque eius captatio in communi quodam ſenſu poſita, nec ita multis eget pręceptis. Nam ipſa vitæ humanæ ſocietas mutuis obſtricta officiis, vſúque rerum maximarum facilè indicant, quibus rationibus hominum animi vel ad gratiam, vel ad inuidiam excitentur. *Conciliatio beneuolentiæ.*

Præcipuus autem locus conciliandi animos ad beneuolentiam, cúm erga oratorem, tū etiam illum pro quo agitur, poſitus mihi videtur in ipſa perſonarum dignitate, morum innocētia, vitæ exiſtimatione: quę ornatur rebus geſtis, meritorū cōmendatione, grauis etiā alicuius *Perſonarum dignitas præcipuā beneuolētia habet commendationē,*

caſus pro patria ſuſcepti commemoratione, & ne qua ſimultatis ſuſpicio, ne qua vindictæ cupiditas in agendo, ne qua gratię affectatio in defendēdo quęſita videatur. Optimè Cicero lib. off. 2. enumerat, quibus rebus hominum animi ad beneuolentiam permoueātur. Sed priora omnia illuſtrant pudoris ſignificatio, vocis lenitas, & comitas ſermonis, ne quid proteruè, ne quid cupidè, ne quid petulanter dictum videatur, vultus denique qui animi ſenſum indicat, modeſtia. Mirè etiam quiddam valet ad animi cōciliationem reorum exprimere mores innocentes, religioſos, litium fugitantes, iniuriarum perferentes: quemadmodum Cicero P. Syllæ modeſtiam in fauorem & commiſerationem adducit.

Beneuolentiæ cōciliatio, ab officiis perſonarum.

Frequenter tamen beneuolētia ab officiis perſonarum ducitur, quoties nos ductos cognationis vel affinitatis, vel domeſticæ neceſſitudinis, aut Reip. officio pro iis laborare ſignificamus, quorū aliqua in Remp. extant promerita, aut quorum virtus aduerſariorum criminationibus afflicta ac proſtrata iacet, vel deprimitur infirmitas. Vſus eo loco in oratione pro Publio Sylla Cicero.

Eſt autem honeſtiſſima cùm ad conciliandam multitudinis beneuolentiam, tum vero gloriam atque admirationem excitandam illa officiorum commendatio, quæ à liberali gratificandi voluntate, beneuolentia in ciues, pietate in parentes, miſericordia in calamitoſos, exules atq; afflictos ꝑfecta videtur. NAM IN AMICITIÆ humanæ'q; neceſſitudinis conſociatione quemadmodum labor nullus honeſtus, nullum alleuamentum neceſſarium detrahi ſine graui communis officij derelictione poteſt: ita benignitatis eſt, eloquentiæ bona, quæ natura ad hominum ſalutem & conſeruationem dedit, ad optimorum ciuium pericula propulſanda conuertere. Obſeruaſſe hos beneuolentiæ locos paſſim videtur Cicero. Si qua cauſa ad Reipublicæ exemplum referatur, in ea Plinius omniũ intereſſe putat, quid rectè, quid præter ius & æquum fiat, diligenter diſpicere. *Officiorũ commendatio vnde.*

Manet & hoc in præceptis, vt caueamus, ne quos propter priuatam aut publicam vtilitatem diligimus, eorum laudẽ effuſius prædicemus. SOLET ENIM plerunque inuidia florẽtibus rebus, illuſtríque gloriæ facilius incum- *γρ.ωμ.*

bere, vt exitus noſter, ſi formula cadamus, apud noſtri amantes commiſerationem meretur: ita ſæpe contemptum ac riſum excitat, ſi noſtra diligentia nihil videamur conſecuti. Eam etiam ob cauſam apprimè vtilis eſt illa eloquentiæ diſſimulatio, qua nos aduerſariorum ingeniis, gratiæ atque authoritati impares dicimus. Vſus ea Cicero in prima exordij circunductione pro P. Quintio, & pro L. Cornellio Balbo.

Vtilis eloquẽtiæ diſſimulatio.

A iudicis perſona.

Iudicis etiam laudatio cum cauſæ noſtræ vtilitate coniungenda: ad eiúſque animi virtutes pleráque accommodanda erunt. Nam Cicero in oratione pro Pub. Quintio, contra aduerſariorum vim & gratiam præſidium ab æquitate, fide, grauitate, ac virtute. C. Aquilij ſibi quæſiuit. Sed conciliandi iudicis, vel etiam auditoris materiam, cauſa, quæ maximè fauorabilis videatur, dabit.

Ab aduerſarij perſonæ.

Captabitur & ab aduerſarij perſona beneuolentia, ſi præcipitem eius amentiam, libidinoſum furorem, proiectam nequitiam, barbaram denique & illiberalem in aliorum vel exiſtimationem vel fortunas debacchandi voluptatem, & quicquid ab illo proteruè, confiden-

ter, præfractè & flagitioſè factum ſit, in contemptionem ac inuidiam trahamus. Vehementi enim & graui inſectatione Cicero Ebutij audaciam improbitatémque perſtringit.

DE INSINVATIONE.

In turpi cauſa & tacito vulgi præiudicio damnata, non recto vtimur principio, ſed inſinuatione, quæ ἔφοδος Græcè appellatur. Ea eſt, per quã occultè in iudicum animos cauſæ noſtræ vel excuſatione, vel etiam criminis extenuatione admittimur, medicorum exemplo, qui amaram potionem ægrotis exhibituri, vt amaritudinis fallant ſenſum, extremas poculi oras melle obliniunt. Vſus ea Q. Hortenſius, qui cùm illiberaliter, ſed quod natura honeſtum fortaſſe ac ciuile videbatur, Martiã Catonis vxorem deperiret, prius eius filiã Portiam Bibulo nuptam, procreandæ ex ea gẽte ſobolis cauſa popoſcit. Cui cùm Cato reſpondiſſet, Sua quidem omnia illius in voluntate futura eſſe, ſed quod peteret, in generi, cui filiam dediſſet, poteſtate eſſe, victus cupiditate Hor-

Inſinuatio.

Cato vxoris ſuæ Martiæ cõmunitatem Hortenſio fecit.

tenſius, Martiã eius vxorem apertè poſtulauit. Cuius poteſtatẽ ipſe Cato, qui marit⁹ eſſet, dare poſſit. Hac inſinuatione illectus Cato inuerecundè conceſſerat, quod recuſare antea poterat honeſtè.

Loci inſinuationis

Eius hoc breue ſit præceptũ, vt ab iis quæ lędũt orationem inflectamus: cauſæ turpitudinem perſonę commẽdem⁹ dignitate. Si perſona loboremus, ex facto gratiã quæramus perſuadeamúſque boni & incorrupti eſſe iudicis, non perſonam, ſed rem quæ iudicij ſit propria, ſpectare.

DE ATTENTIONE.

Attentio, quibus reb⁹ ſparetur.

Attentio conſiliatur, ſi de rebus magnis-, nouis, neceſſariis, & cum eorum qui nos audiunt vtilitate dignitateque coniunctis, vel ad ſingulare Reipubli. exemplum pertinentibus nos polliceamur breuiter dicturos: excitemúſque audientium animos ſpe, expectatione, metu admiratione, & id genus aliis affectibus. Vſus hac ratione M. T. in orat. pro l. Manilia. Agitur, inquit, ſalus ſociorum, aguntur certiſſima Pop. Roma. vectigalia. &c. Pro. C. Rabirio. Sic enim

exiſtimare debetis Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibu' vobis prouidendam, neque à Trib. pleb. ſuſceptam neque à Conſule defenſam, neque à Pop. Roma. eſſe delatam. Quòd ſi cauſa iucunditatis in agendo varietatíſque minus ſit habitura, rogandi iudices, vt in audiendo non minorem diligentiam religioni tribuant, quam voluptati.

DE DOCILITATE

Docilitas iiſdem ferè quibus attentio conſtat locis. Eius tamen ratio commodiſſimè explicatur, ſi cauſæ genus, naturam, ac ſummam denique rei quam iudicis cognitio excipiet, definitione ac diuiſione ita explicemus, vt neque iudicis attentionem ipſa partium diuiſione cōfundamus, neque multitudinę obruamus memoriam. *Docilitas vnde ſumatur.*

Incidunt autem in omnes orationis partes hi loci, in tota cauſa tanquam in corpore ſanguis, ſparſi. Alicubi tamen, vbi præſertim cauſę genus parum ſit honeſtum, ſimplicius erunt attingendi. Nā

quædam eleuanda, quædam etiam omittenda ad remittendam iudicis auditionẽ. Cicero enim in oratione, qua Q. Ligarium defenderat, vſus ironia eſt ad criminis inuidiam eleuandam, remittẽdámque Cæſaris attentiõnem.

Libera exordia. Libera mihi videntur exordia, nec vna certa ratione tractari poſſe. Sunt enin locis, cauſis, temporibus, perſonis noſtris vel aduerſariis, præſenti rerum ſtatui, & hominum opinioni accommodanda. Exempla ſunt longè pulcherrima apud Demoſthenem & Ciceronem.

Modus exordij. Modus exordii aptiſſimus erit, ſi nec ipſa breuitate excidat, nec longitudine auditorem defatiget, & quemadmodum Apelles & Parraſius ſuam imaginibus addiderunt ſymmetriam: ita orator ſimplicibus cauſis breuius: multiplicibus verò & ſuſpectis longius dabit principium, ne iuxta prouerbium, Herculis perſonam, & cothurnos infanti tribuat.

Exordiorum vitia. Exordiorum vitia rhetores tradunt, Vulgare, id eſt multis cauſis accommodatum. Cummune, cuius vſum aduerſarius habere poteſt. Commutabile, quod aduerſarius in cauſæ ſuæ voluntatem ac

defenſionem retorquet: Separatum, & à cauſa alienum: Tranſlatum, quod aliis ex cauſis eſt ductum. Præter hæc cauendum, ne verborum inſolentia, nouitate, obſoleta & deſita veſtutate, metaphora audacius petita in procœmiis vtamur. Præcipua tamen cura obſeruandum, vt poſtremam procœmij partem conſequentium initio, tanquam totius corporis membro accommodemus.

DE NARRATIONE.

Naratio eſt, hiſtorica rei geſtæ aut ut geſtæ expoſitio. Eius fauorabile initium eſſe debet, atque inde ductum, vnde cauſa noſtra potiſſimùm commendatur, iactis paſſim ſuſpicionibus, ſeminibùſque argumentorum, quibus cauſa communiatur. ESTENIM expoſitio reliquæ orationis omnis fons, & initium contentionis. Quare præcipui eſt conſilij videre, quando & quomodo narrare expediat. Maxima ſiquidem rerum momenta in narratione ſæpe vertuntur. Quod autem Rhetores narrare, id Iurecconſultus poſtulare vocat, a

Maxima rerum momenta in narrationne verti.

a Tit. de poſtulando. d. &c.

b l. i. §. poſtulare d. c. d. t. de poſtu. d. & C.

hoe eſt definitore Vlpino, *b* deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eũ, qui iuriſdictioni præeſt, exponere: vel alterius deſiderio contradicere. Quibus poſtulandi ius detur, idem copioſè explicat. *c*. Poſtulandi præcepta atque vtilitatem rectius & ſpecioſus tradunt Rhetores. NARRATIO autem omnis quæ vel ipſius eſt cauſæ, vel rerum ad cauſam pertinentium, aut tota pro nobis eſt, vt Quintilianus exiſtimat, aut tota pro aduerſariis, aut pro vtríſque mixta. Ea quæ cauſæ noſtræ conciliationem dignitatémque habet: tribus (quæ & ipſæ aliarum partium ſunt communes) conſtare debet virtutibus, vt ſit aperta, vt ſit breuis, vt ſit credibilis.

l. 4. cap. 2.

Narrationis virtutes.

Nullam autem totius orationis partem cùm reliqua omni verborum gratia ac venere, tum vero perſpicuitatis virtute ac lumine æquè conuenit illuſtratam eſſe atque narrationem: ne eius obſcuritas vniuerſæ orationi labẽ atque tenebras aſpergat. Repeti enim quę obſcurè expoſita ſunt, alio loco non poſſunt: & ferri iudicium de cauſa quæ non intelligitur, rectum præſertim & liberum non poteſt. Quare enitendum,

vt narratio ſit aperta ac lucida, hoc eſt, verbis propriis, vſitatis, ac ſignificantibus, nec tamen nimium aut exquiſitis, aut ab vſu remotis expolita.

Narratio breuis

Breuis fit narratio, cùm nec plura nec pauciora quàm oporteat dicimus, ſummam rei de qua iudici pronunciandum eſt exponentes: cauſæq́ue circunſtantias ſic recidimus, vt nec cognitioni quicquam, nec vtilitati detractum videatur. Qua in re fugiendum, ne abrupta, hiulca, & nimium præciſa oratio rerum efficiat confuſionem. Gignit enim affectata illa ſermonis breuitas obſcuritatem, iuxta illud Horatij: Breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Si tamen rerum & cauſarum ordo in longum exierit, profuerit expoſitionem partitione, interfatione, ac communitione diſtinguere. His enim locis breuem narrationem Cicero pro Quinto. Ligario fecit.

Credibilis narratio quomodo fiat

Credibilis ſiue probabilis erit narratio, ſi perſonis, ſi temporum ordini, locis, cauſis ac rebus ſit conſentiẽs, & quadam cum feſtiuitate diſtincta, accommodata etiam ad id pronunciatione. Nonnunquam etiam argumento ſimplici ac breui ad probandum quod propoſuerit, adhibito.

In narratione ea, quæ contra nos eſt, ſpectanda erunt cauſarum genera, quò rerum circunſtantiæ, cauſæ natura ac defenſio noſtro ſe iudicio offerant ſpectāda. Vtendum colore: mitiganda quędam ac purganda, vt oſtendamus reum humano quodam errore lapſum, magiſque occaſione quàm peccandi voluntate à naturæ ſuę ſtatu in turpitudinem impulſum eſſe. Pleraq; etiam verborum commutatione eleuanda: quemadmodum Cicero ſtupri commercium quod Cęlio adoleſcenti cum Clodia intercceſſerat, his verbis extenuat: Adulterum ego putarem, ſi quis hanc paulò liberius ſalutaſſet?

Eam vero expoſitionē, cuius pars pro nobis, pars contra nos eſt, ita diuidemus vt noſtra confirmemus, aduerſa corrigamus remediis, de quibus iam diximus.

Quæ ſpectāda in narratione.

Illud in vniuerſum ſpectandum, vt narrationem omni verborum elegantia ac varietate, omni verborum gratia ac ſplendore illuſtremus: vbique reddamus rationem, quare & quomodo res ita facta credatur: eo tamen modo, vt narratio ſit illa, non confirmatio. Poſtremò vt narrationis finis ſummariam ali-

Narratio niſi-

quam habeat ſententiam, ex qua cauſæ conſtitutio emergat: quod Ciceroni peculiare fuiſſe video in oratione pro Q. Ligario: Nullum igitur habes Cæſar adhuc in Q. Ligario ſignum alienæ à te voluntatis. Hinc ſtatus, quo animo Q. Ligarius fuerit? Sic pro Cæcinna: Reſtituiſſe ſe dixit, ſponſio facta eſt, hac de ſponſione vobis iudicandum eſt. Atque hic ſtatus eſt ſcripti & voluntatis, qui qualitate excutitur. Item pro Milone poſt narrationis finem: Nunquid igitur aliud in iudicium venit, quã vter vtri inſidias fecerit? Ex quo ſtatus naſcitur coniecturalis, in qualitate fundatus.

nẽceſſe debere, ex quo ſtat⁹ cauſa eliciatur.

In narratione vitandas magni authores præcipiunt, crebras excurſiones, proſopopœias, apoſtrophen, atque omnino argumentationem.

Narrationis vitia.

DE EGRESSIONE.

Expoſita cauſa ſępe datur ad eorũ qui nos audiunt animos incitandos vel reflectendos, aut etiam oblectandos illa excurſio, quam παρέκϐασιν græci, latini egreſſum, egreſſionem & procur-

Digreſſio.

ſionem vocant: qua extra orationis flexum atque decurſum, in plauſibilem aliquem locum, cum ipſa tamen cauſæ vtilitate coniũctum ſic excurrimus, vt facilis ad priora ſit acceſſus. Eius mihi vſus vel cauſa narrata, vel argumentis noſtris confirmatis, vel reprehenſis contrariis, in ſingulis denique aut vniuerſis quæſtionibus præcipuus eſſe videtur, quoties in luxuriam, auaritiam, ingratitudinem & huiuſmodi alia exaggerandę aut locupletandæ orationis gratia digredimur: maximè tamen, cum atrox expoſitionis fuerit finis, aut aſperam aliquam legem tueri, aut conuellere popularem conamur. Quod Ciceronem contra legem agrariam feciſſe ſatis conſtat.

Digreſſionis vſus.

DE PROPOSITIONE ET PARTITIONE.

Propoſitio.

Propoſitio narrationi fere ſuccedere ſolet, niſi vbi expoſitionis finis, cauſæ ipſius controuerſiam proponat. Erigit enim auditores & monet, vt ſeſe ad diſcendum parent: ſummámque cauſæ quęſtionem, de qua cognitio habetur, oſtendit. Præcipuè vtilis in cauſis obſcuris & multiplicibus, in quibus factum conceditur

ditur, de iure autem aut finitione, aut qualitate quæritur. Nec ſemper ſunt ſimplices propoſitiones, ſed nonnunquã duplices, vel etiam multiplices: quæ ſi coniungantur, partitionem efficient.

Eſt autem partitio definitore Quintiliano, noſtrarum aut aduerſarij propoſitionum, aut vtrarumque ordine collata enumeratio. Hæc ſi opportunè adhibeãtur, multum ſplendoris ac gratiæ orationi adfert, iudicíſque memoriam præcipuo auxilio confirmat. Si contrà varia ac multiplex ſit, iam eo ipſo obſcuritatis vitio, cuius fugiendæ gratia adhibetur, laborabit. Quare & lucida, & breuis eſſe debet, ne quid altero ſit ſuperuacuum. *Partitio,*

DE CONFIRMATIONE.

Cauſæ confirmatio ſicut præcipuam dicentis dignitatem commẽdat, ita omnibus in actionibus maximè eſt neceſſaria: eius naturam, & cui in ciuilibus forenſibúſque negotiis incumbat, de iureconſultorum ſententiis paucis & ſimpliciter explicabimus, ne puerorum ingenia in ipſo artis veſtibulo, rerum quæ traduntur difficultate frãgamus, aut re-

tardemus, ſtudiorum profectum: deinde oſtendemus, quæ probationum partes, qui argumẽtorum loci à rhetoribus tradantur. Pueriles enim erunt rhetoricæ pręceptiones, niſi ad vſum forenſem & ciuilium rerum procurationem referantur. Eſt autem cõfirmatio, qua cauſę noſtræ dubiæ & controuerſæ auctoritatem fidemque argumentis facimus. Hanc Paulus ſcribit ei incumbere qui dicit, nõ ei qui negat. Abſoluitur enim reus actore, quod intendit, non probante. quando is qui negat nulla nec naturali nec ciuili ratione ad probandum compellitur. *a.* niſi fortè actor euidenti aliqua vel rerũ vel legis præſumptione munitus probãdi neceſſitudinem in negantem transferat veluti ſi actorem, quocum venditio ſit contracta, ſana mente fuiſſe ego dicã tu neges: aut in dubium veniat, vnde vxor conſtãte matrimonio magnam aliquam fortunæ acceſſionem honeſtè ſibi acquiſierit, præſumatur de bonis mariti eam acquiſiuiſſe. Aut ſi in condictione indebiti pecuniam me accepiſſe confitear, tu verò eam mihi debitam fuiſſe neges, facit pro me quidem præſũptio, cogeriſque tuis me conuincere probationibus: quoniam cauſa nulla fuit vel iactã-

Confirmatio.

a. l. Ei incũbit. d. de proba. l. Actor. C. eo. t. l. Qui accuſare. C. de eden-do.

di pecunias tuas, vel indebitas profundendi: cuius rei monimenta extant apud iuriſconſultos. *b.* Vt autem qui excipit probare quod excipitur debet, ita ipſa nonnunquam præſumptio à reo probationem in petitorem transfert, vt in pacto de nō petendo, in cancellato chirographo. *c.* Sed non eadē eſt in omnibus cauſis probationū fides: nā in pecuniariis petitori, qui ſemiplenā probationē habet, deferri poteſt iuſiurandū niſi perſonæ qualitas obſtet. *d.* In criminalib⁹ verò, teſtes, ſigna, ſuſpiciones, argumenta, probationes luce clariores eſſe oportet. *e.* Nō enim de fortunæ & dignitatis amiſſiōe, ſed hominis ſalute, cui⁹ neglectio improbitatē arguit, magno iudicio agitur. *f.* eòque abſentē, vt ait Vlpianus. *g.* in criminibus damnari nō debere diu⁹ Adrianus Iulio Frontino reſcripſit: ſed nec de ſuſpicionibus debere aliquem damnari diuus Adrianus Aufidio Seuero reſcripſit. Sanctius enim eſſe impunitū relinqui facinus nocentis, quā innocentem damnare. Quanquā in his quoque legis ſuſpicionúmque præſumptio reum vehementer premit: vt eū, qui cùm in affectati adulterij ſuſpicionem veniſſet, non tamen, cùm ei denunciatū eſſet,

b l. Nec codicillos. C. de codic. l. Etiā ſi vxoris. C. de dō. int. vi. & vx. l. Cū de indeb. de pb. d.

c l. Si pactum l. ſi chirographum de prob. d.

d l. Non eſt q̄d me t⁹ cā. a. d.

e l. Sciāt. t. C. de prob.

f l. Qui ſentētiā. C. de pœ. l. Addictos. c. de appellat.

g l. Abſentē. de pœ. d.

ab alienis nuptiis, ab alieno amore temperare ſibi potuit: quem etiam impunè occidere leges permittunt. *h.* In crimine ſanè læſæ maieſtatis, patriæ oppugnatæ vel proditæ, peculatus, ſacramentorum deſertorum, falſi & eiuſmodi, eadē probandi neceſſitas incumbit tam actori quam reo. *i.* Neque tamē eorum, qui infamia notantur, aut qui domeſtici ſunt ac familiares, probatio fidem auctoritatémque meretur, niſi in cauſa repudij & diuortij. *l.* Quòd ſi par vtrinque ſit probationum fides, melior habēda eius erit conditio, qui præſumptione aliqua iuuatur. qua in ſententia eſt Barto. *m.* Breue igitur hoc ſit præceptum, vt intētionem actor, exceptionem reus probet, niſi vel cauſæ natura, vel defenſionis tractatio hunc ordinem inuertat: deinde, quod fori ſeueritas cauſarúmque magnitudo exigit, vt probationes, inſtrumētorum fide, teſtium religione, euidentiſſimis argumentis, non nuda aſſeueratione extra iudicium prolata, aut epiſtolis confirmentur.

Probatio artificialis & inartificialis.

Ariſtoteles probationes, in quibus tota vincendi ſpes eſt poſita, alias facit inartificiales, alias artificiales: Græci πίςεις ἀτέχνους ϗ ἐντέχνους vocant. Prioris

h l. Si q̃s & auth. Si quis ei. C. de adult.
i l. Fallaciter. C. de abolitioni. l. vbi falsi C. de falſis.
l Bart. in l. conſenſu. C. de repud.
m in l. Si duo. de iureiur. d.
n l. Non epiſtolis, l. Non nudis. C. de prob.

generis ſunt: præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes & ſi qua ſunt alia, quæ ad oratorem à cauſa atque à reis deferuntur: quæ omnia ſummi artium ſcriptores ab arte quidem remota, ſed magnis tamen eloquentiæ viribus explicari contendunt. Poſterioris ſunt: ſigna, argumēta, exempla. Mihi ſanè quæcunque fidei faciendæ facultatē prębent præceptis & monitis contexta, ad artis confirmationem pertinere videntur: & cùm priora illa certis præceptionibus explicentur, controuerſia nulla eſt, quin artis ſint, quoties ab eis orator probationem petit. Porrò hic vides cùm omnium humanitatis artium, tum præcipuè rhetorices atque dialectices inter ſe communitatem: qua veluti vinculo quodam ſocietatis atq; naturæ cōſenſione conſtringuntur. Vt enim poëſis ſuam à muſica ἁρμονίαν, Geometria proportiones ab Arithmetica mutuantur, Aſtronomia ex numerorum, figurarum, ac mathematicarum dimēſionum fide propendet, Metaphyſica naturalium coniectura explicantur, ſic Rhetorica ab Academicis ingeniis ſubtilitatem, à dialectico argumentorum ſumit locos. Eſt enim eadem ſignorum, argumentorum, *Artium cognatio.*

Inuentio partium omniũ difficillima atque exemplorum apud Rhetorem & Dialecticum inuentio. quæ ſicut prima & partium omnium difficillima eſt, ita multa commentatione ac ſingulari animi iudicio parata eſſe debet. Perit enim *Inuentionis vſum maxime eſſe neceſſarium.* omnis omnium ſtudiorum fructus, niſi hanc partem ſumma cum diligentia ac dignitate excolam9. Nam noſtris de rebus bene dicere, aut aliorum de ſcriptis recte iudicare, rerúmque cauſas, conſecutiones, differentias, ac reliquas cogitatione peruidere circunſtantias, niſi ad argumentorum locos veluti rerum indices animus referatur, non poterimus. Eáque de cauſa & nos copioſius hanc locorum rationem explicabimus, felicem iuuẽtutis (cui hunc laborem dicauimus) indolem, Dialectici ſtudij parte maxima allecaturi.

Inuentionis vis omnis in locis eſt poſita. Inuentionis vis omnis in locis eſt poſita, ex quibus veluti rerum fontibus, & vberi quadam materie, omnis orationis copia, omnis dicendi ornatus, omnia ad omnem orationis amplificationem inuenta emanant: quando non aliud ſunt loci, niſi argumentorum domicilia ac *Loci quid dicatur.* indices, quibus animos noſtros per illã immenſam rerum circunferamus magnitudinem: vt quid in vnaquaque re ſit

probabile inueniamus, inuentum deinde ſyllogiſmis circunſcribamus, exemplis exornemus: vt hoc modo inſtructi, de rerum omnium natura, origine, ac officiis, de virtutũ ac vitiorum formis, de ciuilibus denique negotiis, probabiliter, copioſè, atque illuminatè diſſeramus. EA ENIM eſt locorum vel præcipua vtilitas, quòd ingenuarum humanarúmque artium dignitatem illuſtrent, & ſuppeditent rerum omnium materiam: nec eloquentiam ſolùm affluenti rerum copia atque vbertate alant atque ornent, ſed animos quoque noſtros pulcherrimarum rerum induant cognitione & prudentia. Primùm itaque probationes eas, quæ ad omnes in vniuerſum pertinent quæſtiones, ab ipſo capite, vnde omnia faciendæ fidei locupletandæque orationis inſtrumenta deducuntur, arceſſemus: deinde ſuas ſingulis cauſarum generibus aſſignabimus. *Locorum vtilitas.*

DE PRÆIVDICIIS.

Præiudicium, quod alij pronunciatum & res iudicatas, Cic. teſtimoniũ, nõnulli

præiudicationem nominant, eſt ſententia dicta, quę iudicaturis exemplũ, quod ſequantur, adfert. Vel vt Lau. Valla definit, ſententia quædam ante iudicium: ſicut ſi eſſent duo de officio aliquo contendentes, cùm lis in longum procedit, magiſtratus iubet, interea dum ſententiam ferat, alterum officio fungi, quaſi iudicans, iam nunc pro ea ſe parte ſentire, penes quem eſſe vult rem, de qua litigatur. Hoc potiſſimum confirmatur eorum qui pronunciauerunt authoritate, & rerum de quarum natura quæritur diſſimilitudine. Refellitur autem rerũ diſſimilitudine; actorum negligentia, teſtium corruptione, perſonarum infirmitate, & iudicis ignorantia: quem ideo etiam monere oportet, ne ſuam alienę fidei condonet religionem. NON EST magnæ induſtriæ aduerſus præiudicia dicere, quorum etiam vſus in foro ciuili, & authoritas infirmior hodie eſt: propterea quòd legibus iudicandum eſt, non exemplis aut præiudiciis *a*. Sunt autem duplicia: diuina, cuiuſmodi ſunt apud Ciceronem pro A. Milone de Oreſtis facto ſapientiſſimę deę ſententia approbato: in Catilinam, à Iouis ſigno colũnæ impoſito: pro Q. Ligario in Cæſaris

Degis fab. li. 5. cap.

a l. Nemo s de ſent. & int. om.

cauſa deorum immortalium iudicio ac ſucceſſu approbata: in oratione ad Quirites poſt reditum habita. Reſtitutum enim reipublicæ ſe dicit, omnib' hominibus fauentibus, diis denique immortalibus frugum vbertate, copia, vtilitate reditum ſuum comprobantibus. Humana ſunt, quæ hominum ſententiis muniuntur. Eiuſmodi ſunt tria illa pro A. Milone, & contra Oppianicum illa Scamandri & C. Fabritij damnati. IVRECONSVLTI præiudicium in aliam quoque ſententiam videntur accipere *b*. Iiſdem res iudicata, definitore Modeſtino *c*. dicitur, quæ finem controuerſiarum pronunciatione iudicis accepit: quod vel condemnatine, vel abſolutione contingit. Quæ ſic appellatur, etiam ſi poſt rem iudicatam detur prouocatio *d*. propterea quòd facta prouocatione fingatur pronunciatum non fuiſſe *e*. Magna huius in omni cauſa eſt auctoritas. Standum enim ea vel cadendum, ſi reliqua iuris ſolennitas nulla in parte negligatur, erit litigatori *f*. Sed infirmatur rerum ipſarum, quæ in controuerſiam veniunt, perſonarum item, ætatis, loci & temporis circunſtantiis: vt ſi iudex minor quatuordecim annis ſententiam di-

C. l. ſed licet. de off præ. d.

b tit. de exce. ſeu. præſcripto. & præiud. d. & §. præiudiciales inſtit. de act.

c l. j. c. de reiud. d.

d l. litiga. C. de appella.

e l. i. § vlt. ad ſe. turpilia. d.

f l. i. de re iud. d.

catur pronunciaſſe *g*. niſi fortè vel principis auctoritate, vel ex partium conſenſu minor octodecim annis, ſed tamen maior quatuordecim, datus fuerit iudex *h*. Non enim omnes iudices, referente Paulo *i*, dari poſſunt ab his, qui iudicis dandi ius habent: quidam enim lege impediuntur, ne iudices ſint: quidam moribus: quidam natura, vt ſurdus, mutus, perpetuò furioſus & impubes, quia iudicio carent. Lege impeditur, qui ſenatu motus eſt. Moribus, vt fœminæ & ſerui. nõ quia non habent iudicium, ſed quia receptum eſt, vt ciuilibus non fungantur officiis. Nec contrà indefenſos minores 25. annis tutorem vel curatorem non habentes, vel ſi habeant, & eorum deſtituãtur propugnatione, res iudicata admitti debet *l*. quæ tamen in gratiam ac fauorẽ ætatis eis prodeſſe poteſt *m*. Ipſa præterea cauſarum diuerſitas diſcrimen facit, non enim pædaneus perinde atque ordinarius iudex de ingenuitate, de ſeruitute *n*. aut ciuilis cùm ſit, de eccleſiaſtica cauſa iudicium facere poteſt *o*. Illud porrò iudicatum, quod contra res prius iudicatas, à quibus prouocatum non ſit, factum dicitur *p*. aut interpoſitum feriatis diebus *q*. aut meſſium vindemiarumque

g l. quidã eod. d.
h l. i. de iuriſ. om. iudic. d.
i in l. cum præto. §. nõ oẽs. de iudiciis d.
l l. act. §. cõtra. de re iud. d.
m l. nõ e. c. de p̃c.
n l. 2. c. de pæ. iu.
o in aut. §. ſi vero vt clerici apud pro epi. col. 6.
p l. i. c. quando pro. non eſt neceſ.
q l. ſi feriatis. de feriis. d.

tempore *r*. aut in loco ſecreto, obſcuro, & inhoneſto *s*. aut præter ſolitum & legitimum iudiciorum ordinem, vel quod nullam denique abſolutionem vel condemnationem contineat, vim omnem auctoritatemque amittit *t*. Sanè eius, qui iuriſdictionem non habet, ſententiam nullam eſſe, dubitationem non habet. Ex falſis quoque tabulis, vel teſtibus corruptis, aut præuaricatiõe, dolóue malo commiſſo rés iudicata oppugnatur *v*. Non libet hic iuriſcõſultorum cõmentarios explicare, in quibus multa in hãc ſententiã extant ſcripta. PRODEST autem iuuentutem his potius, quam cõmunibus rhetorum præceptionibus aſſueſcere. Firmiſſima enim hinc ſumũtur argumenta. REFERVNTVR ad hunc quoque locum clarorum virorum graues ſententiæ: quem alij locum AB AVCTORITATE nominant, ab eóque tantũ affirmatiuè argumẽtũ duci putãt. Dominatur hic in rerum naturaliũ hiſtoria, in eccleſiaſticis diſputationibus, in legibus, conſuetudine, maiorũ inſtitutis, cæteríſque ciuilibus rebus *x*. Bartolus *y*. quoque ab eo fidẽ probationémque cauſis cõfirmãdis parari ſcribit. Apophthegmata quoq; & prouerbia in

r l. i. eo. s l. cu. ſen. c. de ſ. n. & int. t l. præſes c. eod. v l. nulli. c. e. l. i. c. ſi ex falſis.

x. ſi pater de ſolutio l. ſeptimo de ſtatu ho. d.

y l. in tantum de re diuiſ. d.

hunc locum coguntur, quæ Ariſtotele auctore publica quædam ſunt teſtimonia. Nam Cicero Aſiaticorum leuitatem atque perfidiam comprobauit his prouerbiis: Phrygem plagis fieri meliorem. In Care periculum. Myſorum vltimus. Lydus ſeruus &c.

DE RVMORE ET FAMA.

Fama & rumor.

Fama & rumor ciuitatis conſenſu, & publico veluti teſtimonio confirmantur. Sicut enim fama plenam rebus controuerſis probationem fidémque nõ facit, ita tamen multorum confirmata teſtimonio, ac cõſentiens rei de qua quæritur, fidem propè confirmat, ac iuſtam etiam credendi cauſam interdum præbet. *a*. Refelluntur autem vana hominum credulitate, falſáque opinione, nec vlla ſuſpicione munita, quæ ferè ſemper humanæ mentis imbecillitatem in errorem torquet atq; flectit. Habes exemplum apud M. T. Cic. in oratione pro Planco.

a l. proprietatis. C. de probat. l. de minore. §. plurimum, ibi Bar. l. 3 §. eiuſdẽ. de teſti. l. admonendi, de iur. l. vlt. de lib̃er. inſti. &c. d. &

DE TORMENTIS.

Tormẽta.

Tormenta quì confirmant, veram fa-

tendi neſſitatem illis attribuunt: qui diſſoluunt, nulli dolori fidem eſſe adhibẽdam contendunt. Gubernat enim *tormenta dolor, moderatur natura cuiuſq; tum animi, tum corporis: regit quæſitor, vt inquit Cicero, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur, iuxta prouerbium MENTITVR in carcere, qui dolorem pati poteſt: mentitur qui dolorem pati nõ poteſt. Nam aliis infirmitas mendacium parit: aliis patientia criminis intercludit confeſſionẽ: ideóque Leænam meretricem horrendis excarnificatam tormentis non tamẽ indicaſſe Harmodium & Ariſtogitonem tyrannicidas: Anaxarchum præſectam dentibus linguam in os tyranni expuiſſe, vnicum indicij remedium, graues auctores ſcribunt. *Leæna meretrix.* *Anaxarchus.*

Quatenus autem fides quæſtionibus adhibẽda ſit, qui torqueri, & qua in cauſa debeant, prudẽter & inſigni humanitatis ratione docet Vlpianus a. Quæſtioni, inquit, fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur. Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia ſiue duritia tormẽto- *a l. i. §. Quæſtioni de quæſt. d.*

rum ita tormenta contemnunt, vt exprimi ab eis veritas nullo modo poſſit. Alij tanta ſunt impatientia, vt in quouis mẽtiri quam pati tormenta velint: & ita ſit, vt etiam vario modo fateantur: vt non tãtum ſe, verumetiam alios criminẽtur. Præterea inimicorum quæſtioni fides haberi non debet: quia facilè mentiuntur: nec tamen ſub prætextu inimicitiarum detrahenda erit fides quæſtioni, ſed cauſa cognita habẽda fides, aut non habenda. Præſtat itaque eã in quæſtionib⁹ adhibere moderationem ac prudẽtiam: vt ei, qui de ſuo facinore nullis tormentis excarnificatus fateatur, fidem non ſemper habeamus *b.* propterea quòd tormentorum formido, ac imbecillitatis conſcientia eiuſmodi confeſſionem extorquere poſſe videntur. & diuus Seuerus reſcripſit *c.* reorum confeſſiones ita demum pro exploratis facinoribus haberi oportere, ſi qua probatio cognoſcẽtis inſtruat religionem. Non enim in quæſtione, quæ varia ſæpe eſt ac incerta, fides iudicumque religio conſtituenda, ſed argumentis cauſa, ſignis & ſuſpicionibus erit examinanda. *d.* Qua in re plurimum ad excutiendam veritatem momenti habet vox ipſa, quæ tacitus

b l.i. §. Si quis vitrò de qu. d.

c l.i. ff. Diuus. e. t.

d l.i. §. Idẽ Cornelio. l. vnius faci ris. §. in ea cauſa & Bar. in l. i. de quæſti. l. Ex libero homine. ff. De minore. e. t. d.

animi index eſt, diligens atque ſobria iudicis cognitio: & qua animi magnitudine ac conſtantia, qua fide aut trepidatiōe dictum quid ſit, quáue exiſtimatione & conſcientia, in quem habita fuit quæſtio, apud ſuos ſit ciues diligenter & multa animi prudentia obſeruaſſe *e*. Nō enim temerè, & pro accuſatoris ex inuidia aut odio laborantis libidine, aut in quemlibet exhibenda erunt tormenta *f*. Nā de libero homine pro teſtimonio nō vacillāte, de minore 14 annis *g*. de decurionibus & eorū pronepotibus, de principibus viris *h*. de militibus de muliere grauida facta, aut puerpera, niſi poſt quadrageſimum purgationis diem *k*. haberi quæſtionem non oportet, niſi in læſæ maieſtatis crimine, in quo nemo queſtionibus eximitur *l*. neque quos aduerſarius de domo ſua produxit, ad tormenta admitti debent *m*. Porrò de ſeruorum quæſtionibus multa paſſim extāt *n*. quorum vſu, quoniam ferè excidimus, nihil attinet hic ea referre. Nunquā enim ſine

e l. de minore. § plurimū. e. d.
f l. de minore. § tormēta. l. quæſtiones. de quæſti. d.
g l. Ex libero. § i. de qu. d.
h l. decuriones. l. diuo Marco C. e.
i l. milites C. eod.
k l. prægnantis. & ibi Bart. de pœnis. d.

l l. de minore. e. t. l. nullus. C. ad l. Iul. maieſ.
m l. i. § ad quæſtionem eod. t.
n d. & C. de quæſtio. & ibi doct.

o l.i.d. e. grauibus ſuſpicionibus & argumentis in
C.eo. d. criminalibus cauſis aduerſus domini ca-
p l.vix- put de iis quæſtio habetur *o*. In crimine
cer.de iu. verò læſæ maieſtatis, fraudati cenſus, a-
l.famoſi. dulterij, homicidij & proditæ Ro. po.
ad l.Iuli. ſalutis permittitur vt ſine ſignis, argu-
maieſt.d. mentis, & ſuſpicionibus de iis quæſtio
q l.diuus habeatur *p*. Suſpicionem autem in crimi
Pius. ff. nalib⁹ cauſis (nam in pecuniariis ita de-
de quæſt. mum de ſeruis etiam alienis haberi po-
l.interro- teſt quæſtio, ſi aliter inueniri veritas, niſi
gari C.e. per tormenta non poſſit *q*) mouere po-
r Azo. et teſt vnus teſtis *r*. extatque diui Auguſti
Bar.ĩ l.v edictum *s*. ne omni in cauſa & perſona
ni⁹. §. iu adhibeantur tormenta, ſed cùm capita-
dexd.e.t. lia & atrociora maleficia aliter, atque per
s l.edictū quæſtiones inueſtigari non poſſunt: qua
e.d. Bar. rum moderationem iudicem habere o-
Cic. & portet, vt qui torquetur, ſaluus ſit vel in-
Quinti- nocentia, vel ſupplicio *t*. ac proinde vti-
lia.lib. s. liſſimum eſſe ab Vlp. traditur *u*. ſuſpectiſ-
t l.Quæ- ſimum quemque & grauibus ſuſpicioni-
ſtiones.e. bus preſſum, qui verum fateri queat, pri-
t.d. mũ torquere, ac ita interrogare, ne quen
v l.i.e. d. quam nominatim perſtringamus, aut
l.Quoties ſuggeramus potius, quam requiramus *x*.
C.de nau- In quam ſententiam & diuus Adrianus
fra. li.11. reſcripſit.

et ibi Bar. *x l.i.qui §.quæſtionem d.eo. & ibi Bart.*

DE TABVLIS.

Tabulæ ſiue inſtrumenta, ſunt ea omnia quibus çauſa inſtruitur, quorum appellatione etiam teſtes continĕtur *a*, qui cauſam non aliter atque tabulæ inſtruũt *b*. licet aliud quoque eo nomine doctores in municipalibus ſtatutis ex communi dicendi vſu intelligant *c*. Eadem enim in exercēdis litibus eſt teſtium & inſtrumentorum fides *d*, paucis aliquot contractibus exceptis, in quibus neceſſaria omnino eſt inſtrumentorum approbatio *e*. Sed inſtrumenta, quæ hic nobis ſcriptura & tabulæ dicuntur, ſunt vel publica, vel priuáta, vel forenſia, vel ab aduerſario, publicóue archiuo fortè aut grammatophylacio prolata *f*. PVBLICA inſtrumēta nullo externo auxilio cōmunita probationis vim atque fidem in iudiciis habēt *g*, ſi ipſum αὐθεντικὸν quod vocant, id eſt ſcriptura auctoritate publica conſignata, quæ vulgò originale dicitur, non autem illius vel index vel exemplum proferatur *h*. mo-

a l. i. de fide inſt. d. & in aut. eo. t.
b l. Notionē §. inſtru. de verb. ſign. d.
c Imo. in rubri. extra de fide de inſtr.
d l. In exercendis c. e.
e Accur. ĩ l. 2. Pactũ c. de pact. & 10. An. in c. i. de cē-ſi. lib. 6.
f l. Ad hæc c. de fide inſt.

g §. Si vero in auth. eod. col. 6.
h l. Quicunque & glo. cod. d.

i l. Si vte dò non eius auctoritatem aduerſarius
ris c. eo. eleuet, aut calumnioſam eſſe ſcripturã
k l. fi. c. probet i. Itaque is qui inſtrumẽtum pro-
c. ducit, eius fidem, qui deſtruit, calumniã
probare debet k. Productum autem ſe-
l l. fi. & mel inſtrumentum, cuius ſpectata fuerit
l. Sicut i- fides, non aliter referre debet, atque ad-
niquum uerſarius iurauerit ſe poſſe & velle ca-
c. eod. lumniam in inſtrumento ædito proba-
m l. cum re: quo modo qui inſtrumentum pro-
precibus duxit, ne pro falſo habeatur, referre il-
c. de pro- lud cogitur: niſi fortè incendij confla-
bat. & gratione, fortuitóue caſu aliquo, nullo
Azo. ſuo dolo malo abſumptum iuret, aut
n §. Si definitiua interpoſita fuerit ſententia l.
verò mo. Fit autem inſtrumentis publicis fides
in authe. vel derogatur aut teſtibus, aut literarum
e. col. 6. collatione. Teſtes aduerſus publicum
o l. Si al- inſtrumentum non admittũtur, niſi má-
terius c. gnæ exiſtimationis, & numero ſint plu-
ſi. mi. ſe. res tribus m. Nam præſumptio iuris &
ma. di. l. de iure inſtrumenti fidem commẽdat n.
Genera- præfertúrque quibuſdam in cauſis in-
liter c. de ſtrumentum publicum duobus aut tri-
non nu. bus o. Literarum vero collatione olim
pec. l. te- inſtrumenta in vniuerſum, hodie verò
ſtium §. a pro parte aliqua vel approbantur, vel
de teſt. reiiciuntur. Non enim firmam litera-

rum collatio fidem ſine teſtibus facit, propterea quòd ſcriptura ætatis, valetudinis, calami, & atramenti vitio mutata non eandem vbique retinet ſimilitudinem *p*. ac proinde tabellionis & quorum atteſtatione tabulę cõſignatæ ſunt, confeſſione atque iudicio ſtandum eſt, aut illis mortuis vel abſentibus faciunda literarũ collatio. PRIVATA autem inſtrumenta, quæ chirographa Aſco. Pædiano dicuntur, quod in iis, quæ geſta ſunt, priuatim ſcribi ſoleant: aut atteſtatio, ſeu annotatio, ſi nullis aliis adminiculis iuuẽtur, fidem probationémque ſola non faciunt *q*, prę ſumptionem tamen aliquam gignunt *r*. quare vt literarum fiat collatio, proferri debet trium teſtium conſignatio: aut lis dirimi duorum vel trium téſtium iureiurando. quã ſententiam Azo. & Bartho. approbant. EADEM ferè eſt ratio inſtrumentorum forenſium, quæ in iudicio fiunt, & acta appellantur: eorum item, quæ vtrinque proferuntur, vt ſunt acceptilationes, Græci ἀποχὴν καὶ ἀντυποχὴν, nonnulli etiam ἀυτόγραφον appellant, & quæ ex publico archiuo promuntur: quorum omnium tractatio in libro C. quarto extat.

p §. *Nouimus. in auth. eo. col. 6.*

q l. Inſtrumenta c. de probat.

r Bart. in l. admonendi.

s Quoties igitur eiuſmodi inſtrumēta & teſtium fide, & literarum collatione probantur, pleniſſimam merentur fidē t. Si verò per teſtes tantum, aut ſola literarum collatione confirmentur, ſemiplenam faciunt fidem v. Si nec teſtiū fide, nec literarum collatione probentur, nihil præter præſumptionem adferunt. ídque ideo, quod falſi pœna & infamia, collationíſque animaduerſio, ne falſa inſtrumenta producãtur, optimum quenque deterrere poſſe videntur. Et quoniam priuata ſcriptura, referente Bart. x. aut apocha eſt, aut epiſtola, aut rationarius libellus, adhibenda hæc cōſilij ratio, vt quod in rationario libello contra ſcribentem conſignatum ſit, plenam apud nos fidem mereatur y. Quod pro ſcribente facit, ſi illud ex mera illius voluntate dependeat, fidem quoque habeat z. Contrà verò fidem non faciat: quoniam exemplo, vt ait ille zz, perniciosum eſt, vt ei ſcipturæ credatur, qua vnuſquiſque ſibi annotatione propria debitorem cōſtituit. Incidunt etiam loci communes deſignatorum aut ſcelere aut ignorantia.

s l. cōparationes c. de fide inſtru. t. Bar. in d. l. admonendi de iureiu. d. t. Bart. in de. l. admonendi. v §. Si quis igitur. in authē. de īſtr. caut. & fid. x in l. admonēdi. y l. Quædam. §. Nummularios. d. de edēdo & ibi gloſ. z l. Niſi enim de neg. geſt. d. zz l. Exēplo C. de probat.

DE IVREIVRANDO.

Iuriſiurandi religio expediendarũ litium maximum eſt remedium, quoties ex litigatorum pactione, vel iudicis auctoritate controuerſiæ deciduntur *a*. delato enim actori vel relato iureiurando ſimul atque iuſiurandum, ſuſceptum vel relatum ſit, actio in factum datur *b*. nec aliud quæritur quam an iurauerit *c*. Et quando certa quædam ſunt finiẽdarum litium remedia, res iudicata, ſentẽtia arbitri *d*, tranſactio, litis renunciatio, cõſtitutum finiendæ litis tempus *e*. & iuſiurandum, cuius etiam maior quàm rei iudicatę eſt auctoritas *f*. propterea quod minor ætate non reſtituitur contra iuſiurandum prçſtitum ſed contra rem iudicatam *g*, facilè liquet quantus huius ſit vſus. Eſt autem triplex iuſiurandum: voluntarium, iudiciale, neceſſarium, *h*. quæ tria veritatis dicuntur iuramenta, nec remittuntur vel parentibus, vel patronis *i*. Ac proinde cui res, propter quã iuratur, non liquet, petere poteſt ad rem

a l. i. de iureiu. d.
b l. Actori c. eod.
c l. quod d. ſi de do. malo. §. Itẽ ſi quis. Inſtit. de actio.
d l. i. de re iudicata & l. poſt rẽ iudicatam e. d.
e l. iuſiurandũ l. poſtquã. c. de pactis l. pro perãdum c. de iudi. l. ſi c. vt intr. cert. temp.
f l. d. iuſiurandũ.

g To. t. c. ſi aduerſ. rem iudica.
h Glo. l. i. c. de reb. cred.
i l. quoties eod.

inquirendam, dilationem, & vt iuſiurandum interea, dum certior fiat, ſibi remittatur k. Eſt & iuſiurandum in litem, quod ad quãdam affectionem pertinet, & à ſolo iudice defertur: nam ſi alius detulerit, nulla erit religio l. Aliud quoque iuſiurandum eſt calumniæ, quod nonnunquam omnibus, ſemper verò parenti & patrono remittitur m. Iuſiurandum VOLVNTARIVM ex litigatorum voluntate extra iudicium vel ſuſcipitur, vel refertur, vel recuſatur, retractatur autem nunquam n. IVDICIALE iuſiurandum ante ſententiam definitiuam, in iudicio à litigatorib⁹ defertur atque refertur o. quod etiam recuſari ob cauſam poteſt p. Si tamen is iuſiurandum detrectet, cui relatum eſt, condemnari eum oportet, tanquam nulla de cauſa & veluti conſcientiæ metu ac religione perterritum, detrectantem, aut ſua voluntate remittentem. At ſi is cui defertur, iurare nolit, debet de iudicis ſententia definitiuè damnari vel abſolui, ídque præcipuè ſi cauſa vniuerſa iuriſiurandi reli-

k l. Iuſiuran. & ad. e.

l l. Videamus §. i. de in litem iurand. d.

m l. i. c. de iure calũ. l. iuſiurand. §. Qui iuſiurã. eod. d.

n l. Iuſiuran. quod ex. l. Admonendi in fi. e. t. d.

o l. delata l. generaliter c. e. t.

p non obſtat. l. manifeſtæ e. auct. Bar. & probatur l. genera. parag. i. eod.

gione dependeat: aut interponi ſenten-tia interlocutoria debet, ſi litis cauſæque pars ſolum aliqua producatur. Datur tamen damnato prouocatio, & prouocationis cognitor iudex, cui reus detrectati iuriſiurandi cauſam iuſtam cogitur probare *q*. Hoc certe ad animi iudicium referendum eſſe monent Bart. & Accurſ. *r*. eum ſcilicet, ſecundum quē in prima cauſa lis data eſt, ſi poſt prouocationem iiſdem vſus probationibus cauſa cadat, ac primæ ſententiæ iniquitas appareat, cogi tanquam temerarium & improbum litigatorem damnum & impenſas litis inferre aduerſario: niſi tamen nouis vſus dicatur probationibus, quo modo ſuum quiſque ſumptum facit *s*. Qui iudicio ſiſti ob ætatis affectæ valetudinem, aut aliud naturæ negotioiúmque iuſtum impedimentum non poſſunt, ad eos mitti debet, vt ſolenni actorum conteſtatione iuſiurandū, vel ſuſcipiāt, vel remittāt, ſeruata eadem quā diximus appellationis lege *t*. Paul⁹ reſcripſit *v*. ad perſonas egregias, eóſque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportere iuſiurandum. Non

q. Bar. in l. generaliter §. ſed iuramento C. e. ſed diuerſum ſcribūt r. & Azo, in ſum. r in fi. d. parag. s 10. And in c. iuris ignorātia de reg. iur. lib. 6. Bar. in l. Properand. C. de iudic. t l. generaliter paragr. his præſentibus & Bart. C. de re. cre. et iureiu

v l. Ad perſonas e. t. d.

tamen referri ſemper poteſt, vt in rerũ amotarum, furti, cæteriſque famoſis actionibus *x*, niſi id certis in criminibus permittatur *y*. Sed iuſiurandum, quod aduerſario detulimus, probationis fiducia reuocare, antequam iuratum ſit poſſumus: repetere, cui ſemel renunciauerimus, non poſſumus *z*. Retractari non niſi vno in caſu legibus permittitur. *a*.

Neceſſarium iuſiurandum ſicut auctoritate iudicis defertur, ita retractari, niſi vno in caſu, non poteſt. *b*. Huius magnus eſt vſus in bonæ fidei & ſtricti iuriscontractibus, in delictis & quaſi delictis, & quandocũque probationũ inopia, per iudicem cauſa cognita, controuerſias dirimi oportet *c*. In criminali iudicio capitiſque diſcrimine, nõ perinde atque in pecuniariis popularibúſq; cauſis iuſiurandum defertur *d*. quod & ſuprà notauimus: niſi criminales actiones ciuiliter intendantur aut eiuſmodi iuſiurandum ad confirmandam rei innocentiam deferatur *e*. Deferre iuſiurandũ non poteſt pupillus, furioſus, prodigus

x Azo. & Accurſ. in l. delata c. e. y. Bart. in l. lex Corn. ff. hac lege de iniuriis. d. z l. si quis c. eod. a l. Quidã c. e. l. de his cõt. c. de trãſactio. b l. admonendi. eodem. d. c l. ĩ bonæ c. eod. d l. qui ſententiã. c. de pœ. l. vlti. de probat.

e Bar. in l. admonendi l. præſente, §. ſicubi c. de iis qui ad eccleſ.

f, procurator Reip. ſine ſpeciali mãdato *f l. iuſiu.*
g. Iurare tamen omnes, quibus iuſiuran- *§. pupil.*
dum defertur, poſſunt citra diſcrimen *l. utor. ff.*
vel ætatis, vel ſexus, vel ſtatus, & ſine *prodigus.*
vlla periurij vel ſuſpicione vel animad- *e. d.*
uerſione: propterea quòd is qui def rt, *g l. Pro-*
contentus eo fuiſſe videtur. Extant in *curator.*
hanc ſententiam inſignes, commentarij *de procur.*
Antonij de Petrutia, cuius gloriæ atque
iuriſprudentiæ profeſſioni nuper, publico
omnium bono, ſucceſſit LVDOVICVS DE PETRVTIA: quo
in viro magna quædam & mirifica laudis
excellentia eſt, dignitas illuſtris, ac
multiplex ingenuarum artium cognitio:
ſed nulla eius laus illuſtrior fingi poteſt,
quam quod otium pro laborãte legum
ſtudio deuoueat ſuum.

DE TESTIBVS.

Maximam probationis vim & hodie neceſſariam in criminalibus precuniariiſque
cauſis à teſtium religione ſumi conſtat *h*. SVNT AVTEM teſti- *h to. tit.*
um alij voluntarij: alij publica denun- *de teſtib.*
ciatione ad teſtimonij dictionem impel *d.*
luntur. Productur us teſtes voluntarios

diligenti eos ac varia domi percontatione ad omnem animi magnitudinem informabit, ne qua ſimultatis, ne qua ambitionis,ne qua animi vindictæ appetentis ſubſit ſuſpicio. Docendi etiam iudices, nullam eſſe firmiorem probationem, quã quæ hominum ſit conſcientia confirmata. Detracturus contrà teſtibus fidem,à perſonarum conditione,ſpe,voluntate,patria,natione,cauſis inimicitiarum teſtimoniũ eleuabit,coniecta graui inuidia,veluti in teſtes fortuna egentes, vita turpes,exiſtimatione damnatos,audatia furentes,non auctoritate,non vitæ religione,ſed largitione,ſagina,ac nocẽdi cupiditate productos. Permiſit hoc ſibi in propugnatione L. Valerij Flacci Cicero, vt eorum perfidiam,leuitatem, & mores perditiſſimos in dandis mutuò teſtimoniis damnaret. Pro M. Fonteio omnẽ ferè fidem auctoritatẽque Gallis derogat: exemplo etiam M. Æmilij, M. Aquilij, Lucij Cottæ, itẽ Catonis & Scipionis in oratione pro Murena oſtendẽs, ob cupiditatis atque iræ ſuſpicionẽ non eſſe teſtibus omnibus fidem, adhibendam. Caliſtratus quoque iureconſultus teſtium fidem, conditionẽ, vitam anteactam, fortunã, exiſtimationẽ. atque

dignitatem diligenter exquirẽdam eſſe *a l. 3. de*
præcipit *a*, Neque enim omnibus teſti- *teſtib. d.*
monij dictio eſt, propterea quòd alij iu *b l. 3. §.*
dicis auctoritate, alij legib⁹ in reum te- *lege e.tit.*
ſtimonium dicere prohibentur *b*. & ipſa *c l.quoni-*
perſonarum dignitas atque veneratio, *am c.de*
lubrica item conſilij ratio, vitęque tur- *hæret.*
pitudo & infamia à teſtimonij dictione *d l.quæſi*
quoſdam arcet, eóque teſtes infames o- *tum eo.*
mnes præter hæreticos *c*. exiſtimatione *t.d.*
damnati (niſi in cauſa fortè pecuniaria *e l. In te-*
cum tormẽtis exaudiantur *d*) gratia, aut *ſtim. e.d.*
largitione corrupti, impuberes & mino *& iiij.q.*
res 20 annis *e*, pater in cauſa filij, & hu- *ij.c.i.*
ius in cauſa patris: niſi in peculio caſtrẽ- *f l. qui te*
ſi, facto à filio ante miſſionem teſtamẽ- *ſtamentũ*
to, cuius pater teſtis eſſe poteſt *f*. ſerui *§. i. de te*
homines *g*. mulier in teſtamento, exe- *ſta.d. l.*
cutores negotiorum ac præſides in cau- *Parentes*
ſa, cui patrocinium præſtiterint *h*. teſtes *c. eod.*
domeſtici & capitali odio nobiſcum diſ- *g quoni-*
ſidẽtes, ignoti & obſcuri homines *i*. nul- *am liberi*
lam teſtimonij habent dictionem, niſi *c.eo.*
in maieſtatis crimine, in quo omnes *h l.man-*
omnino ad teſtimonium prouocantur, *datatis.*
& ſi res exegerit, torquentur *l*. In *eo.d.*
cauſa propria præter legatarium & fi- *i l. etiam*
deicommiſſarium teſtis idoneus nullus *c. e.l.pri-*
dem c.de
queſtio.l.

Reſpiciendam. parag. furta. de pæ. d.

m l Nul lus.d.e.l. fi.c. de fideicom. eſſe poteſt *m*. Matris & auiæ profeſſio in cauſa liberorum, cùm de ætate quæritur, recipi poteſt; non tamen teſtes habentur *n*. Porrò Paulus rectè annotat *o*. lege Iulia & Papia iudiciorum publicorum caueri, ne cui inuito denuncietur, vt teſtimonium litis dicat aduerſus ſocerum, generum, vitricũ, priuignum, ſobrinum ſobrinã, ſobrino, ſobrináue natum eóſue qui propriore gradu ſunt. Item nec liberto ipſius liberorúmue eius, parentum viri, vxoríſue. Item patroni & patronæ aduerſus libertos, neque liberti aduerſus patronos cogantur teſtimonium dicere. Scæuola quoque tradit *p*. inuitos teſtimonium dicere non cogi ſenes, valetudinarios, milites, & quicunque cum magiſtratu Reipubli. cauſa abſunt, vel quibus venire non licet. Quorum autem ſemel ad cauſam noſtram confirmandam vſi ſumus teſtimonio, eorum eleuare auctoritatem, niſi graues inimicitiæ poſt litis conteſtationem ortæ, aut largitio facta euidentiſſimis argumentis probetur, nulla ratione poſſumus. *q*. Ante omnia igitur ſobrium, integrum, & prudentem iudicem pertractare animo oportet quibus teſtibus fides ſit adhibenda, quæ

n l. etiã. d. de probat.
o l. leg. d. e.
p l. inuiti. eod. d.
q l. etiã. de probat. d.

in teſtimonio dicēdo religio, qua quiſque animi fiducia litis teſtimonium dicat. quod cùm diligentiſſimè præcipiāt. M.T. Cicero & Quintilianus, tum pulcherrimum in eam ſententiam extat reſcriptum diui Adriani. r. ad Valerium Varrum in hæc verba: Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuiuſque rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis diffiniri poteſt. Sicut non ſemper, ita ſæpe ſine publicis monumentis cuiuſque rei veritas deprehenditur. aliàs numerus teſtium, aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc ergo ſolum ſ reſcribere poſſum ſummatim: non vtique ad vnam probationis ſpeciem cognitionem ſtatim alligari debere: ſed ex ſententia animi tui te æſtimare oportete, quid aut cui credas, aut parum probatum tibi opinaris &c. SED QVOT teſtes produci poſſint à multis quæri ſcio. Et conſtat diuturnam patriæ conſuetudinem, quæ ferè pro lege obſeruatur ſ, non leuem habere auctoritatē. Receptius tamen eſt duos in qualibet cauſa t ſufficere teſtes s, in facto præſerrī alieno. t Sed hoc quoque cauſa mutat. Nam in ſolutione debiti ſcripto comprehenſi, in

r l. Teſtium. §. eiuſdē de teſt. d.

ſ l. diuturna. de leg. d.

s l. vbi numerus d. cod. & ibi doct.

ca. relatū. de teſtim.

t Alex. l. 2. abſens. ſi ex nox cauſ. ag. d.

confeſſione ſolutionis, in mortis cauſa facta donatione, in codicillis, in teſtamento ruſtici, & omni vltima voluntate quinque exiguntur teſtes *v*. In teſtamento cæci, octo: in cæterorum teſtamentis ſeptem frequentius adducuntur teſtes *x*, quos vt ſuam fidem interponant rogare oportet. Nonnunquam trium teſtium firmiſſima eſt fides *y*, ſicut in caſu vno quindecim requiruntur. *z* Vnius certè teſtis affeueratio præter ſuſpicionem, non magnam facit fidem. *a* Omnes autem teſtes produci poſt litem conteſtatam debent, niſi hunc ordinem caſus inuertat *b*. & antequam litis teſtimonium dicant, iuriſiurandi religione obſtringi *c*: qua tamen epiſcopus eximitur. *d* Poteſt & de voluntate ac conſenſu partium iuſiurandū remitti: aut ſi controuerſia ſit de ventre inſpiciendo. *e* Non autē temerè quod quiſque audierit, in probationem erit aſſumendum: niſi in contractibus & obligationibus, quod quiſque audierit videritue, id corā iudice à ſe animaduerſum eſſe teſtetur. *f* Poſtremò illud in omni cauſa obſeruandum erit, ſi teſtes vtrinq; producti diuerſa & ſecum pugnantia di-

v In aut. §. Et licet e.l.fi. c.de teſt.
x l. Hac conſultiſ. §.i.c. de teſt.
y l.vlt.c. ſi cer.pet.
z l. vnicuique c. de proxi. ſac.ſcri.
a l. Iuriſ. c.de teſt.
b In aut. §. quia vero.eo.t.
c l. Iuriſ. c. e.
d aut.sed iudex c. de epiſc. et clerico.
e l.i.de vent. inſpici.d.

f l. Teſtium C.eod.

xerint, habẽdam dignitatis rationem, ſequendáque ea eſſe, quæ veriſimiliora erunt g Si omnia ad famæ dignitatíſque prædicationem ſint paria, ſequendum maiorem teſtium numerum. h Si quis copioſiores huius argumenti commentarios expetat, habet Bartholũ, quo nemo diligentius hanc rem tractauit.

g l. ob carmen. § ſi teſtes. d. eod.

h l. 3. §. eiuſdem. e. t. d.

DE PROBATIONE ARTIFICIALI.

Artificialis probatio.

Artificialis probationis partes ſunt: ſigna, argumenta, & exempla. Signorum alia ſunt neceſſaria, quæ græci vocant τεκμήρια: ex quibus euidentiſſimæ demonſtrationes atque ſyllogiſmi Ariſtotele authore deducũtur. Tales ſunt mortuum eſſe, qui non ſpiret: ægrotare eum qui febricitet. Referuntur enim veluti perticularia ad vniuerſalia. Alia autem ſunt non neceſſaria, quæ Græci σημεῖα καὶ εἰκότα, Latini veſtigia, conſentanea, & veriſimilia vocant. Huius generis ſunt, cædem ab eo factam, cuius veſtis ſit cruenta: & quia pauper ſumptuoſè viuat, furto eum & rapinis obſtringi. Hæc perinde fidem faciunt, atque externis adiu-

Signa τεκμήρια.

uantur auxiliis. Nam vt ſola dubitationem non tollunt, ita cæteris adiuncta argumentis, efficiunt, vt quæ ſuſpecta erãt, certa videantur. Sed quemadmodum ſingula ad probandum infirma ſunt, ita coniuncta grauem mouẽt ſuſpicionem. Nam quæ non proſunt ſingula, vt ait Ouidius, multa iuuant. *a.* Hinc ſigna affectati regni, popularis illa frumenti largitio Spurij Melij: innocentiæ atque pudicitiæ, nocturnæ lucubrationes Lucretiæ apud Liuium: Antiphilæ apud Terentium. Ex ſignis collegit Pyrrhus Epirotarum rex inuictam populi Roma. eſſe fortitudinem, quòd prælio colliſi, grauibúſque belli offenſionibus afflicti & profligati, omnia vulnera aduerſo pectore accepiſſent: quòd hoſtibus ſuis plerique immortui, quòd omnium in manibus cruenti enſes, & relictæ in vultibus minæ, & veluti exardeſcens in ipſa morte ira atque ferocitas conſpicerentur. Rodolphus Agricola ſigna ad locum adiunctorum. ſiue contingentium refert. Quintilianus ſigna ab agumentis ſeparat, quòd ſigna illa τεκμήρια, quæ perpetuò ſunt certa, nequeant eſſe argumenta, quorum vſus ſolum ſit in rebus controuerſis: aut ſi incerta ſint, veluti εἰκότα argumentis

a l. Inſtrumẽta cũgl. C. de proba.

Inuicta Ro. pop. fortitudo.

gumentis egeant.

Magnam ſanè exiſtimandi materiam ſigna præbent, non ſolum in ciuilibus actionibus, ſed etiam in medicina, atque mathematicis diſciplinis: precipuè tamẽ in phyſiogomia. Nam ſicut frons parua modeſtiæ, magna deſidiæ, rotunda iracundiæ, lata leuitatis eſt index: ita oculis humanæ mentis imago tanquam tacitus animi ſenſus exprimitur: eóque contractiores, morum integritatem, oblõgi vitæ inſolentiam, mobiles inconſtantiam arguunt. Habent & ſua ſupercilia ac naſus indicia: quæ animaduertiſſe videtur Cicero in oratione in Piſonem. Signis quoque adulterij ſuſpicio augetur *a*. quorum complexum amplius explicant Hoſtienſis *b*. & Angelus *c*. Bartolus *d*. quoque & Bal. *e*. eorum vſum, & quam fidem probationémque in forenſibus actionibus faciant, longa diſputatione declarant.

Signa magnam exiſtimãdi materiam præbent.

a l. ſi i. he qui C. ad adul.
b in ſũm. de filiis presbyte. § .i.
c in tractatu maleficio gl. verbi, cõparuerũt
d in l. 2. de furt.
d.
e in l. ſi extranẽ⁹. de cõdi. cauſ. data cau. nõ ſecut.
d.

DE ARGVMENTIS.

Argumentorum loci alij ad perſonas, alij ad res ſiue negotia pertinent. Horũ rurſus alij ſunt interni, alij externi. Nos naturæ ordinem ſecuti, perſonarum lo-

Argumẽta alia re rũ, alia ꝑſonarũ. cos prius recenſebimus. nam eos à Dialecticis ferè præteritos videas: partim quòd ciuilibus in cauſis frequentius traćtentur, veluti oratorum proprij: partim *Malè à dialecticis perſonarũ argumẽta negligi.* etiam, quòd nullam certam demonſtrationibus fidem probationémque faciãt. In vtriſque ſanè magna eſt vtilitas vel ad animi iudicium, vel rerum cognitionem parãdam. Cùm enim ciuiles actiones in rebus atque perſonis verſentur *f.* *Inſti. §. omniũ de actio.* & in propoſitionibus, quibus argumenta accommodantur, perſonæ ponantur, non poteſt non vtiliſſima in omni genere dicendi, nedum forenſibus actionibus eorum cognitio eſſe. *g.* *g l. idem Cornelio. d. de quæſtio l. vnius facinoris §. vnius. d. e. l. qui ſine d. e. l. i. c. de teſtib. &* *l. 3. cod,*

Sunt itaque perſonarum argumenta.
- Genus.
- Natio.
- Sexus.
- Aetas.
- Educatio.
- Habitus.
- Fortuna.
- Studia.
- Commotio animi.

GENVS.

Genus.

Magnam ad honeſtè turpitérque viuendum occaſionem materiamque præbet genus, propterea quòd eorum ferè, quorum induimus naturam, mores referimus. Sicut enim in iumentis virtutis commendationem adfert parentum vel magnitudo vel laterum firmitas, pernicitáſque, vel corporis pulchritudo ita etiam in hominibus, parentum nobilitas magnam laudis nobilitatem liberis parit. Frugi enim eſſe filium, qui probo parente ſit prognatus iureconſulti præſumumt.*h*

h §. propterea in authen.t. de referẽda ſacro. pall.col. 2.in can. ſi quis cũ militibus diſt. 6.q. 2.in can. ſi gẽs.diſtinc. 56.

NATIO.

Natio.

Gentium ſingularum proprij ſunt mores & laudis, & reprehenſioni opportuni. Argumenta apud Ciceronem ſunt Gallorum in oratione pro M. Fonteio: Græcorum, Aſiaticorumque pro L. Val. Flac. & pro L. Murena, Aſia luxuriæ ſuſpicionem præbuit. Offert enim argumentum virtutis vel vitij natio.*i* In deliberationibus & actionib' publicis, quid expetendum, quid fugiendum ſit, hinc ducta argumenta indicant.

i l.quòd ſi nolit §. qui mancipia. de ædil. ed. Sexus.

SEXVS.

Sexus animorum affectionem arguit. Credibilius itaque in fœmina veneficiũ, latrocinium in viro. In exhortationibus admirabilior eſt in fœminis, quam viris virtus: vt in Chlœlia, Lucretia, Leæna, Tullia Cleopatra. In ciuilibus quoque negotiis ſexus diſcrimen facit.k.

k l. fœminæ de regul. iur. d.

ÆTAS.

Alia ætas alios habet mores & affectus. Cic. pro Roſcio parricidij crimen ab ætate refellit. Spectatur ea in tutelis, in curationibus, in integrum reſtitutione, ac reliquis contractibus, etiam in pœnis.l.

l l. infans d. de ſica l. ſed et ſi. §. iniuriam. d. ad l. Aquil. l. quod infans. de rei vindicat. d.

EDVCATIO.

Educatio, diſciplina, & victus non leuia ſunt morum experimẽta. Cùm enim omnis ratio atque inſtitutio vitæ communem hominum ſocietatem deſideret, non leuem innocentiæ opinionem populo adferunt, quorum ętas atque ſtudia ab iis ſunt informata, in quibus animi

magnitudo & excelſitas, virtutíſque ſplé dor illuceſcit. Ab educatione Cic. probat M. Cœlij adoleſcentiam caſtè integréq; conſeruatam eſſe: Catonem, natura mitem atque admirabilem, Stoica tamen diſciplina factum duriorem. Idem factã à Verre iniuriam Reipu. dicit, quòd liberos ille ſuos ad fœdiſſimas voluptates, pótius quàm ad maiorum inſtituta, atq; ciuitatis diſciplinam informauerit. Nihil autem ad effingendos mores efficacius prima illa educatione. *m.*

m arg. l. qui filiũ. d. vbi pupil. educari de l. ædiles. ſi. quid verò. de ædil. edicto d. in Aut. de monach. col. i.

HABITVS.

Habitus & animi & corporis eſt: nec minus in ciuilibus controuerſiis atque naturalibus tractatur diſceptationibus. Ab eo inſidiarum argumentum ducit Cicero pro A. Milone. Extant pulcherrimi Galeni libri de temperamentis.

FORTVNA.

In fortuna, diues an pauper: in conditione, liber an ſeruus ſit, videm⁹. Continétque hic locus perſonarum qualitatem: in qua magnæ ſæpe & graues controuerſię vertuntur, cũ ciuilibus in cauſis, tum etiã criminalibus actionib⁹, *n.* In

n l. quædam d. de pœ. l. aut. facta. §. perſona. e. & ibi Bart. & Imo.

o in l. cũ condictione quoque indebiti, vt Pau-
de indebi lus refert *o*, qualitas perſonæ diſcrimen
to.de pro facit.
bat. d.

STVDIA.

p. l. ſcire.
paragr. Perſonarum, adeóque diuerſorum ho-
vlti. de minum ſtudia nemo rectius Comicis
*tuto. & * poëtis oſtendit. His ſi quis volet, addat
curato. d. Ariſtotelem in Rhetoric. ad Theod.

COMMOTIO ANIMI.

q. l. 2. de teſtib. d.
r Inſti. paragr. vl. de ſuſpe. tuto. & curato.

Animorum affectiones, veluti ira, ambitio, miſericordia, & huiuſmodi aliæ, frequenter ſuſpicionem aut augent, aut minuunt: eóque iis Cicero pro A. Milone aduerſus Clodium vehementiſſimè eſt vſus. Affectus ſiquidem cuiuſque ingeniũ arguunt: nec alia res perinde hominis exiſtimationem commendat, atque moderatæ animi cupiditates ac mores benigni. *p.* In teſtibus Modeſtinus monet *q.* fidem, dignitatem, & mores ſpectare oportere, quemadmodum & in tutelis. *r.* Extat inſigne exemplum Tullij Clœlij in oratione pro Sex. Roſcio Amerino. Et apud Valerium Maximum libro octauo titu. Infames rei. Ci-

cero in oratione pro P. Sylla monet, omnibus in rebus, quæ maiores grauioréſque ſunt, quod quiſque voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur, eſſe pōderandum. neque enim poſſe quenquam noſtrum fingi, neque cuiuſquam repente vitam mutari, aut naturam conuerti exiſtimat.

His alij addunt facta & conſilia, & ſi qua ſunt alia, quæ mihi ad ſuperiora referri poſſe videntur.

ARGVMENTA RERVM.

Argumēta rerum

Rerum argumenta communia ſunt Rhetori & Dialectico, eorúmque locos alios internos, in ipſis rerum neruis atq; venis inhærentes: alios externos facit præter Ciceronem in Topicis Rodolphus Agricola, quo nemo alius vel accuratius, vel copioſius τὴν τεχνικὴν conſcripſit: cuius admirandam naturæ vim ingenijque præſtantiam, etſi imitatione conſequi me poſſe deſperem, voluntate tamen propius accedam, vt quantum rei ipſius difficultas, vel magni præſerim & omni eruditionis genere præſtabilis viri imitatio facultatis mihi detrahit, tantum

Rodolphus Agricola.

addat animi ſuſcepti laboris conſtantia. Sit igitur primus nobis locus à definitione.

DEFINITIO.

Definitionis uſus.

Definitio quid.

Definitionū genera.

Vſitatiſſimus argumenti locus ducitur à definitione. quoties enim in ciuilibus atque dialecticis diſputationibus, aut ſacris literis, aut omni alia denique ſubtili diſputatione rem controuerſam docere, ſuiſque explicare circunſtantiis conamur, primum occurrit definitio. Ea eſt breuis & circunſcripta oratio, qua quid ſit res explicatur. Huius genera duo faciunt Dialectici: alterum nominis, quod ſola ἐτυμολογία, ſiue enarratiõe conſtat: ne vocabulo nominis πολυσήμου decepti, in ἀμφιβολίαν labamur. Vt ſi taurum definituri ſeparemus, aut à domeſtico animali, aut ſydere, aut monte. Alterum eſt rei, quæ ſuis partibus, cauſis, & naturalibus conditionibus exponitur: conſtátq; ex genere & differentia. Sed huius definitionis non vna eſt formula. Alia enim eſt ſubſtantię ex genere differentia compoſita, vt homo eſt animal rationale: alia cauſalis, priori coguata. Nam materiam genus, formam differentia ſignifi-

cat, vt ſi ὀξύμελι vel mulſum definiatur. De cauſis infrà dicemus. Eſt & definitio ex effectibus ſeu officiis, eáque frequentiſſima. Nam eſſentiæ definitio non ita frequens eſt, ob magnam verarum differentiarum inopiam. Et in definiendis virtutibus ac vitiis, ab effectibus definitionem conteximus, qualis eſt illa iuſtitiæ, libro primo pandectarum. His addũt Dialectici definitionem ex partibus, vt ius ciuile eſt, quod ex lege, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, principum placitis, magiſtratuum edictis & prudẽtum reſponſis conſtat. *s* Quinta definitionis forma eſt ex genere & accidentibus contexta: qua ignotas ſubſtantias ex accidentibus colligimus. Hanc alij deſcriptionem, veluti oratoris propriam, appellare malũt: quòd & qualitatem omnium, & actionum quæ alicui rei inſunt, explicationem habeat. Sed nõ debet definitio qua orator vtitur, ita preſſa, anguſta, atque exiliter aſtricta eſſe, vt philoſophorum videatur diſputationibus aſtricta. omnia enim quæ ad vulgi iudiciũ, popularémque intelligentiam accommodantur, explanatiora eſſe conuenit. Proderit autem iuuentutem variis propoſitis rerum definitionibus diligenter exercere. Sitque

s. l. ius de inſtit. & iure.

Qualis oratori conueniat definitio.

eiuſmodi argumentum à finitione ductum, Nihil perinde vtile eſt Chriſtiano animo, atque ars æqui & boni, ius eſt ars boni & æqui *t*, igitur vtile. exempla plurima ſunt apud iureconſultos. Diligenter & cum cura intuendum, vt definitiones propriis, ſignatis, & perſpicuis dictionibus contexamus. Deſtruitur enim finitio, quoties impropriis vocibus conficitur, aut cum definito verti nō poteſt, quod & animaduerſum eſt ab Vlpiano. *a*. Quare dialectici certos vocum ordines ceu claſſes fecerūt, ex quibus neceſſaria eruantur pronunciata, vt ſunt gen⁹, ſpecies, differentia, proprium, & accidēs, quod ſolum nullam cùm aliis neceſſariam habet cognationem.

t l. Iur. 1. Paragr. 1. Ius eſt ars de iuſti. & iure d.

prædicabiles voces.

a. in l. omnis de regu-iur. d. Accur. et Bar. in l. 1. parag. dolum. l. ſi quis p empt d. de vſuc. l. 1. de capi. dimi d. Inſt. in prin. de obligat.

GENVS.

Genus commune nomen eſt plurib⁹ ſpecie differentibus. Si enim quæras quid ſit leo, aſinus, equus, homo: reſpondetur, animal. Nam quæſtio quid ſit, generi ac ſpeciei conuenit. Eius infirma eſt ad demonſtrandam ſpeciem probatio, firmiſſima autem ad refellendam. Neque enim quia virtus eſt, ideo tempe-

rantia,ſed quia virtus non eſt, ideo nec temperantia:aut quia contractus eſt, ergo locatio, ſed quia contractus non eſt, ergo nec locatio. Quare à genere tantũ negatiuè argumentamur, vt quod non eſt virtus, vtique temperantia eſſe non poteſt, niſi vniuerſalem particulam generi addas: quomodo & affirmatiuè & negatiuè ab vniuerſali argumentum ducimus. Omnia animantia naturæ coniunctionem vitæque ſocietatem munificè tuentur, ergo & homines humanæ ſocietatis coniunctionem tueri debent, Nullum animal fœtum ſuum abiicit, igitur nec homo. Iureconſultos generis, formæ, & indiuidui nomen nonnunquam confundere documento ſunt illorum commentarij in l. ſecundo. §. Mutui, & ibi Baldus. ff. Si certo. peta.in l, Meuius. §. duobus. ff. de lege ſecundo.in l.3. §.genera.ff. de acquiren. poſſ.&c.

SPECIES.

Species, impreſſa quædam rei eſt imago,& veluti commentatio ſiue notio, quam græci ἔννοιαν καὶ πρόληψιν,

Cicero inchoatam intelligentiam voca qua quanque rem animo concipimus: eóque de pluribus numero differentibus dicitur, b. In ciuilibus actionibus nomen generis & ſpeciei nonnunquam confunditur. c Plato ſanè ideas, Ariſtoteles εἶδη, Cicero formam appellare maluit, hoc exemplo in Rhetoricis vſus. Si omnes qui Reipubli. conſulunt, chari nobis eſſe debent, certè imprimis imperatores, quorum conſiliis, virtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem & imperij dignitatem. A ſpecie ad genus affirmatiuam tantum argumentationem formamus: vt iuſtitia eſt, igitur virtus eſt: nam poſita ſpecie, ponatur & genus oportet d.

DIFFERENTIA ET PROPRIVM.

Differentia propria rei nota eſt, certam, cum genere ſpeciem conſtituens, vt homo eſt animal rationale. Merum imperium eſt habere gladij poteſtatem, ad animaduertendum in facinoroſos homines.

b. Bar. in l. quæſitũ §. ſi quis fundũ. de fundo in iſtructo. d.

c Inſt. ſſ. furtorum genera de obli. quæ ex delict.

d l. Si qd earũ. §. inter emptũ d. de leg. 3. l. p ſeruũ §. Si vſusfructus. d. de vſu & habit. Barto. in dict. l. ſi quid. & le iuriſgẽ §. Sed ſi fraudandi. de pactis. d.

e l. imperium de iuriſdi. omnium iud. d.

mines e:ibi habere gladij poteſtatem,ſeparat merum imperium à mixto. Talis eſt differentia mandati & iuſſus: quorum illud voluntatis *f*, hoc neceſſitatis eſt.*g* Hanc ita à proprio differre pleriq; putant, vt differentiam partem rei eſſe dicant,atque eiuſmodi, vt ipſa præſente cõtinuò res ab aliis omnibus ſeparetur, rurſus,ea amota,res ab aliis non differat: id eſt,quæ (ſi vera ſit) nec latius, nec anguſtius pateat, quàm ſpecies. Proprium autem quod omni,& ſoli, & ſemper cõpetat, quaſi certum ſpeciei officium ſignificãs: vt homini ridere, loqui,numerare, canere competunt. Neque ignoro plurimum eſſe diſcriminis inter veram differentiam & eam quam Dialectici propriam paſſionem nominant. Sed quando verarum differentiarum penuria laboramus, cogimúrque vel vbique rerum differentias per partes, officia, aut accidentia periphraſticῶs circumloqui, non puto ſuperſtitioſè reprehendẽdum, ſi Ariſtotelis cæterorúmque exemplo, ita proprij vocabulo vtamur, quaſi nihil interſit inter proprium & differentiam, vtrumque ſanè ad quæſtionem quale ſit pertinet. Et omnibus in cauſis plurima ducuntur argumenta à proprio officio.

f l.i.mãdati.d. *g l.i.ſ.2.d.quod iuſ ri ſd.*

Quid ſit diſcriminis inter proprium & differentiam. *Propriũ.*

Vſus proprij.

Nam præterquam quòd definitionem confirmat, etiam ad coniecturam pertinet: vt propium poëtarum, furere: ſummorum ingeniorum, multum habere & melancholiæ & ſtultitiæ: boni viri, rectè & cum dignitate omnia agere: continentis, domitas habere voluptates. His additur accidens de quo infrà dicam. Neque enim definitionem propriè conſtituit: neque in rei ſubſtantia hæret.

DE DIVISIONE.

Diuiſio. Adiuuatur & diuiſione finitio. Nam & rei quæ definitur naturam, & quàm multiplex ſit, in tanta præſertim verarum differentiarum egeſtate, demonſtrat, & ad locupletandam orationem præcipuam vim adfert. Ducitur ſanè per omnes argumentorum locos præterquam ἐτυμολογίας, & repugnantiam: quoniam repugnans de altero rectè prædicari non poteſt: fitque eo modo, vt vnum aliquod in multa non diuiſione ſolum, ſed vel partitione, vel enumerátione deducamus, quæ duæ Dialecticæs ſunt partes.

Eſt autem vt diuiſio generis in formas per differentias diſcretio, ita partitio totius in partes. Prioris exemplum erit ſi dicas, hominum alios liberos eſſe, alios ſeruos. *b* Liberorum rurſus quoſdam ingenuos, quoſdam libertinos eſſe. Poſterioris, ſi ius ſcriptum in ſuas diuidas partes. *a*

Partitio *b.l.ſumma d.& inſti. de ſtatu homi. paragra.i.*

Enumeratio, quam alij etiam diſtributionem appellant, eſt ſubiecti in accidentia partitio, qualis eſt popularis Pompeij laus apud Ciceronem pro lege Manilia, & apud Homerum Agamemnonis, apud Plinium libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ Catonis primi Portiæ gentis, qui vnus tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt: Optimus enim orator, optimus imperator, optimus ſenator iudicatus fuit. Sed vt ſuperiores loci omnes ad finitionem coguntur, ita locus totius & partium ex diuiſione oritur.

a l.1 autē d.de inſtit. & in re. paragra. Scriptū. Inſt. de iure nat. gent. & ciuili. *Enumeratio.* *Catonis præſtabilis dignitas.*

TOTVM ET PARTES.

Ne quem fallat cognatio generis & ſpeciei, cum toto & parte (confunduntur enim hæc nonnunquam nomina) oſtendam quid interſit. Genus de formis ſuis affirmatur, atque ad vnius

Totū & partes.

cuiuſque ſpeciei ſubſtantiam confirmã-dam adſit oportet. Totum contrà, nec de partibus prædicatur, nec ſingularum partium conſtituit ſubſtantiam. Vt enim iuſtitia ſit, virtutem quoque eſſe neceſſe eſt. Atqui partes eſſe poſſunt, nempe gypſum, calx, lapides, trabes, ianua, etiam ſi domus non ſit. Porrò non vna eſt totius & partium ratio. Quædam enim ſunt ſubſtantiales, vt anima & corpus in homine, prora & puppis in naue. Quædam quantitatis, quæ in magnitudinibus, tẽpore & numero cõſiſtit. Quædam efficaciæ cuiuſdam, vt ſunt vitæ gradus apud Ariſtotelem. Horum plenior cognitio ad phyſicum pertinet. A toto argumentatio ducitur, Vniuerſus mundus prouidentia adminiſtratur, ciuitates igitur & familiæ conſilio regi debent. A partibus ad totum, Si perditiſſimorum hominum perniciem iuſta vindicta proſequi, ciuium fortunas tueri, exornari laudibus bonos, deprimere nocentes, languentes plebis animos ad Reip. decus atque ornamentum excitare eſt vtile, non poteſt non vtilis eſſe rhetorica. Sed hæc omnia ſunt vtilia, & cum ſumma Reip. dignitate coniuncta, vtilis igitur rhetorica. Cauendum in argumentatione

Multiplex totius & partium ratio.

Lib. de anima.

tione à partium enumeratione, ne qua pars omittatur. Iureconſulti quatuor formas totius faciunt. *a* quas & Claudius Cantiuncula ingenioſus vir & intelligens, omníque doctrina & ingenij laude ornatiſſimus, publico nuper bono in ſuis explicat topicis: nobis rudem iuuentutem inſtituentibus non opus eſt nimia illa ſubtilitate. Obſeruet igitur iuuentus, ſicut à toto integrali, affirmatiuè ductam argumentationem ad partem principalem veram probationis fidem ſemper facere: vt ædes ſunt, ergo ſolum & ſuperficies. *b* ita contrà ſi negatiuè, ad partem minus principalẽ deflectatur, infirmam eſſe argumentationem, vt nauis non eſt, ergò nec artemon. *c*

a. l ſi mihi & tibi. §. in legatis. l. grege. d. de leg. 1. Claud. Cantiũcula

b. l. quiedes d. de vſu. l. ſolum de rei vendic. d.

c. l. malũ de verb. ſignifi. d.

CONIVGATA.

Coniugata dicuntur quæ in eandem verborum συζυγίαν cadunt, vt: prudens, prudentia, prudentér. Magnam cum etymologia habent cognationem: ſed non admodum creber horum eſt vſus in probationibus. Nam ita cohærent, vt vix alterum ſit altero notius, & eiuſdem penè laboris eſt perſuadere diuitem eſſe, eum qui præſentem fortunã boni con-

Coniugata.

ſulat: & ſummas habere diuitias, rebus ſuis eſſe contentum. Quæ res nec Fabium Quintilianum latuit, qui hunc locum enumeratur, niſi Ciceronis exemplo, non erat. Si quis tamen inquirat, erit huiuſmodi. Si conſulatus eſt dignitas, non poteſt non conſul dignus eſſe. Proditio ſi eſt impia, erit & impius ipſe proditor. Si hæres ſuccedit in defuncti ius vniuerſum, *a* igitur ipſa hæreditas in vniuerſum defuncti ius ſucceſſio eſt. *b* Conducit & hic locus inueniendis rerum definitionibus. Nam quid prudentia, quid fortitudo ſit, ex actionibus & officiis prudentis viri melius cognoſcitur.

Vſus cõiugatorũ.

a l. cũ hæres. de diuerſi. & temporalis præſcrip. d.
b l. hæreditas de regu. iur. l. nihil de verb. o ſignifi. d.

LOCI QVI CIRCA SVBſtantiam ſunt.

Loci interni qui circa ſubſtãtiam ſunt à Rodolpho adiacentia, acti s, & ſubiectum nominantur. Dialectici ſignificantiore quodam vocabulo prædicamenta vocant, in hoc Ariſtotelem ſecuti, qui κατηγορίας vocat, cùm aliquid de altero prædicatur, vt Pompeius militaris diſciplinæ eſt peritus. Hic militaris diſciplinæ peritia prædicatur ſiue attri-

buitur Pompeio. Nos etiam vt communem ſcholarum conſuetudinem obſeruemus, quãtitates à qualitatibus ſeparabimus, ſuas ſingulis ſpecies aſſignaturi.

DE PRÆDICAMENTIS.

Prædicabilium vocum, quæ veluti communiora vocabula cæteris vocibus explicandis attribuuntur, vſum ampliſſimum in rebus ſignatè ac perſpicuè definiendis oſtendimus. Quæ autem vox cui rectè attribuatur, quę rerum inter ſe cognatio ſit vel diuerſitas, quis denique vniuerſæ naturæ ordo obſeruari debeat, generalia illa vocum capita docent. quæ vulgò rerum principia ac prædicamenta dicuntur. Adferunt enim magnã facultatem, quoties in conſilium ituri, vocum definitiones conſtituere, theſes & hypotheſes explicare ac rerum naturas perquirere volumus. Nec aliud ſunt prædicamenta, quàm loci communes, ſiue incomplexorum terminorum ſeries, ac quædam veluti definitionum ſupellex, vnde omnia vocabula, omnis de omnibus rebus oratio, omnis definitio ſumitur: ob id credo ab aliis genera dicta, quòd ex his cætero-

Prædicamẽta.

Quid prædicamenta.

rum vocabulorum ſenſus gignantur.

Sunt autem hæc: ſubſtantia, quantitas qualitas, πρός τι, vbi, quando, ſitus, habitus, actio, paſſio. Ad hos ordines ceu rerum fontes, vnde vniuerſa definiendi materia emanat, ſingularum vocum genera conſtituturi recurrimus. Ariſtoteles monet in tradendis prædicamentis propriam vocabuli ſignificationem ſequendam eſſe, fugiendáſque ἀμφιϐολίας: ne ſi complexa voce pro ſimplici, ficta ac commentitia, pro vera: artis alicuius vocabulo, quod dialectici ſecundæ vocant impoſitionis: aut eiuſmodi voce, quæ omnia rerum genera complectatur, vt ſunt ens, vnum, verum & bonum: aut voce priuatiua, quam inter oppoſita infrà recenſebimus, aut quę naturalem conſtitutiuamue partem ſignificet, veluti materia, corpus, aut ea denique, quæ vel πολύσημος, vel συγκατηγόρημα ſit, temere vtamur, rerum ac vocum confundamus propietatē. Quare dialectici hæc poſtprædicamenta vocant, quoties nomina ambigua interpretantur.

Quid in tradendis prædicamentis fugiendum.

DE SVBSTANTIA.

Subſtantia per ſe exiſtens quædā na-

tura eſt, in quam accidentia ſic incumbunt, vt ſi inde tacito animi iudicio diuellantur, aut mutentur, non tamen eius corrumpatur natura. vt homo manet, vel cũ ægrotat, vel calet, vel friget. Nec cygnus perit, ſiue albus, ſiue niger ſit. Nam accidentia, quibus ſubſtãtia induitur, ratione diducimus. Ariſtoteles ſanè ſuſtantiam, quam οὐσίαν Græci, Plautus eſſentiam, Rodolphus ſubiectum appellat, in primam diuidit & ſecundam: ac primam eam conſtituit, quæ inquirentium ſenſibus primùm ſe ſe offert, mentíſque cogitationem à particulariũ cognitione ad generalia prouehit: cuius generis ſunt ſingularia ac indiuidua, vt hic homo, Plato, Cicero. Secunda ea cõplectitur, quæ primæ ſunt proxima, vt homo, vt animal. Admonenda autem hoc loco iuuentus, vt ſciat inter omnes voces primum nomen eſſe ens, cui ſubſtantia, & adiacentia ſubiiciãtur. Deinde ſubſtantiæ nos nomine interim abuti, & ſubſtantiam appellare, cum auulſis circunſtantiis ipſum adiacens per ſe conſideramus. Iuriſconſulti ſubſtãtiam ferè dicunt, quod proprium dialectici vocãt. Sic de mutui ſubſtantia eſt, vt mutuum dantis ſit, & accipientis fiat. l. 2. §, Ap-

Subſtantia apud commiſſ. dicitur illud quod dat eſſe rei l. obleuationũ. d. Oble. & act. d.

Subſtantiæ diuiſio.

Ens primum omnium nomen eſſe, & diuidi in ſubſtãtiam & accidens.

pellata.ff. Si cert. pet Vt non eadem ſpecies, ſed idem genus reddatur.l. Mutuum e.t. Sic de ſubſtantia conditionis indebiti primum eſt error.l.i. & 2.ff. de cond.ind. Secundo, vt in accipientem transferatur, quando rem ſuam condicere nemo poteſt.l. fi.ff. vſus f.quo. ca. Poſtremò, vt error probetur.l. Cùm de indebito.ff.de probat. Porrò idem tradit, duplicia ab accidentibus nomina naſci. Subſtantiua videlicet, quæ dialectici abſtracta vocant, vt ſunt nigredo, caliditas, cæteræque formæ nudę à ſubſtantiis ratione diuulſæ: & adiectiua vulgo concreta appellata, quæ formas cum ſubiectis ſignificant, vt albus cygnus, niger coruus, quæ omnia vt melius ſpectentur, viſum fuit hanc tabulam ſcholarum more proponere.

Duplicia nomina ab accidẽtibus naſci abſtracta et cõcreta.

CLASSES CATEGORIÆ SVBSTANTIAE.

Subſtantia

Corporea — *Incorporea* { *Deus*, *Anima*

Corpus

Simplex { *Ignis* / *Aër* / *Aqua* / *Terra* } *Mixtum* { *Fulmina* / *Fumus* }

Corpus mixtum

Animatum *Inanimatum* { *Lapides* / *Gemmæ* }

Corpus animatum

Sentiens *Non ſentiens* { *Truncus* / *Frutices* }

Animal

Rationale *Irrationale* { *Leo* / *Aſinus* }

Homo

Plato *Hic homo* *Socrates.*

Ad hunc ordinem referuntur ſubſtantiarum partes, vt caput, pes, manus. Nam partes eiuſdé ſunt κατηγορίας, cuius ſunt ea ex quibus illa conſtituútur: quomodo vnitas & punctum prædicaméti ſunt quantitatis.

ADIACENTIA.

Adiacentia. Adiacentium locus primus eſt quantitas. omnis enim vox quæ ſubſtantiam non ſignificat, tum adeſſe, tum detrahi citra ſubiecti corruptionem poteſt, inter adiacentia refertur: vt quantitas, ſecundum quam æquale quicquam dicitur, aut inæquale, maius aut minus, velox aut tardum. Attribuitur enim iis rebus, quæ diſtribui poſſunt: Vt ſi quæras, quanta ſit virtus, quas habeat partes. Quare eam dialectici duplicem fecerunt: continuam, & diſcretam: continua, quanta res ſit oſtendit, eámque definiunt cuius partes ad eundem communem terminum veluti punctum coguntur, vt linea, vt ſuperficies, vt corpus: quæ tametſi ſeparari nequeant, cogitatione tamen diuelluntur, vt linea ſit ſola longitudo, ſuperficies latitudo ſola; corpus profunditas cum latitudine & longitudine, quibus adduntur tempus & locus. Diſcreta quantitas eſt, cuius partes nullam prorſus termini habent communionem, vt numerus & oratio. Notum prædicamentum, nec admodum vſitatum in cauſis ciuilibus.

Quantitas.

Duplex quãtitas.

DE QVALITATE,

Late patet huius prædicamenti vſus, omnes enim cùm animi, tum corporis *Qualitas* ἕξεις, omnes actionum formas, ac vniuerſum denique ſimplicium complexarúmque rerum, quibus ingeniorum commentatio fulcitur, notitiam complectitur: nec aliunde crebrius petuntur definitiones, ſiue deſcriptiones quòd differentiarum ferè loco ſuccedant. Eſt autem qualitas, qua ſimilia & diſſimilia diſcernuntur. Eius ſpecies quatuor facit Ariſtoteles. *Qualitatis diuiſio*

Prima eſt ἕξις καὶ πάθος, ἕξις permanentior quidam eſt habitus agendi conſuetudine partus. Huius non vna atque ſimplex eſt ratio. Nam habitus alij ſunt animi: alij corpóris. Qui in animo hærent, hominis ſunt proprij, & ſolo intellectu, & mẽtis agitatione colliguntur: in quorũ ordine primùm ſunt artes, ſciẽtia, opinio, & huic vicina ſuſpicio, ſapientia, & quæcunque artes ſunt θεωρητικαὶ, πρακτικαὶ, καὶ ποιητικαί. deinde quicunque naturali quadam inclinatione ac voluntate, qua ad rectè fortitérque agendum incitamur, conſtant vt *Habitus animi ſūt aut corporis.* *Quintil. li.2.ca.19*

ſunt vitutes, inſtitia, temperantia, fortitudo, modeſtia, religio, pietas, amicitia, beneuolentia, fides, perfidia: quorum omnium definitiones Ariſtoteles, & in Academicis quæſtionibus, officiorúmque libris Cicero tradit. Petuntur enim vt plurimùm ab officiis. Poſtremò affectiones illæ, quibus humana mens percita, naturæ legibus reluctatur, vt ira, dolor, metus: quorum flexum infrà explicabimus: ſunt enim & brutorum animantium communes.

Corporis habitus ſunt, veluti temperamentum, palæſtrica, ſaltatoria, & pingendi ars. CERTVS enim & cõſtans vſus plenam in re omni parit perfectionem.

a l.quidẽ cũ filiũ de verbo oblig. & ibi Bar-tol.d.

b l.vulgaris. §.qui furti.de furtis.d.

Πάθος ſanè, id eſt affectus, concitatior animi eſt impetus, quo permoti cũ ratione & conſilio pugnamus. Magnum hic diſcrimen facit in contractibus ſtricti iuris *a* & criminalibus cauſis. *b*

Sed ſubeſſe oportet actionum organa, & naturalem quendam impetum ſiue propenſionem, ad quam exercitatio accommodetur. Quare & alia ab Ariſtotele addita eſt qualitatis ſpecies.

Potentia naturalis

Ea eſt naturalis potentia & impotentia: qua ad ipſas actiones apti dicimur:

Græcis φυσικὴ δύναμις καὶ ἀδυναμία ap- *eſt facul-*
pellatur. ſic enim docilem, ſic pugilem *tas à na-*
vocamus, qui naturæ impetu & corpo- *tura data*
ris viribus vel ad literarum ſtudia, vel *ad ali-*
actiones eſt appoſitus. Magna huius lo- *quid fa-*
ci eſt vtilitas, non ſolum in ciuilibus a- *ciendum.*
ctionibus, vbi de pubertate, de iis, qui matrimonium contrahere nequeunt, de caſtratis, mutis, ſurdis, & quicunque teſtamentum facere, aut ſtipulari prohibentur, quæſtio incidit: ſed in vniuerſa vitæ ratione, ne quid noſtra cum natura pugnat, inuita Minerua, pertentemus: aut ab eo, in quo naturæ vis maximè eminet, in aliud diuerſum ſtudium efferamur, nihílque contra naturam vniuerſam contendamus. Rectè admonet Fabius Quintil. ingeniorum diſcrimina diligenter eſſe obſeruanda, vt QVO QVENQVE naturæ ἕξις ferat, ad id potiſſimum prouehatur.

Tertia ſpecies eſt, quæ dialecticis paſſio & paſſibilis qualitas dicitur. Nos paſſibiles qualitates, quæ Græcis παθητικαὶ ποιότητες appellantur, hic natiua, paſſiones, tẽporaria adiacentia vocamus. Porrò, vt vniuerſum rei complexum in pauca conferã, adiacentium omniũ alia ſenſu, alia intellectu colliguntur. Quæ ſen-

De his Cic. li. 4. quæſt. Tuſc.

Senſus.

ſu deprehenduntur in omnibus animã-
tibus,& quæcunque tãgi vel videri poſ-
ſunt, ſpectantur. Habent enim ſinguli
ſenſus proprium quiddam, nam viſum
colorum ſpecies, albũ, nigrum, fuſcum,
flauum, perſpicuum, opacum: auditum
ſonus, ſaporem guſtatus, odorem olfac-
tus, tactum molle, lene, aſperum frigi-
dum, calidum, humidum, ſiccum mouet:
Intellectus. in quibus humanæ prudentiæ cognitio-
níſque vis vniuerſa conſiſtit. Intellectu
deprehenduntur, quæ animi commenta-
tio colligit atque decerpit: ita magnetis,
ita hæmatitis vim mens humana perſpi-
cit. Sed horum vt dixi, quædam ſunt na-
tiua adiacentia, quæ in ſubſtantiis perpe-
tuò inſunt, & animi magis iudicio, quã
re ipſa ſeparantur. Nam quanuis ita ſæ-
pe in ſubſtantia inhæreant, vt diuelli ab
ea nequeãt, quemadmodum in igne ca-
lor, in Aethiope nigredo, ſenſus tamen
interior & ratio perſpicit, eiuſmodi qua-
litates, quòd corporibus addi, vel adimi
poſſint, non eſſe ſubſtantiæ partes. Ho-
rum autem vis in iis partim conſiſtit,
quæ ſenſus ſunt expertia: vt humiditas
in aqua, ſiccitas in terra: dulcedo in mel-
le, in glacie frigus. Partim animalium,
corporibus ineſt, vt robur, fortitudo, fæ-

cunditas, ac illis contraria. Partim ſenſibus, vt manſuetudo, feritas, docilitas, &c. Temporaria ſiue τὰ πάθη ſunt, quæ forinſecus accedunt paulóque momento nunc obrepunt, nunc ſubtrahuntur. Quorum alia facillimè à ſubiecto dimouētur, vt rubor ex verecundia, pallor ex metu contractus, alia ægrè adimuntur, vt primus lanarum color, ſapor quo recens teſta imbuitur. Alia diuturna cōſuetudine in ἕξιν mutantur, totúmque ſibi hominem ſubigunt, quoniam conſuetudo altera ferè natura eſt: fitque, vt ἤθη ſint ἔθη, hoc eſt conſetudines. Atque huius generis ſunt inuidia, ambitio, dolor, miſericordia, amor. Magnus eſt huius loci vſus in ciuilibus criminalibúſque cauſis. *c* Nam affectus, aut minuunt, aut augent culpam. *d.* Ab adiacentibus Cicero Deiotarum defendit. Deiotaro nō alius aut cōſiderantior, aut rectior, prudentior eſt: inſidiarū igitur facin⁹ in eum cadere non potuit. ſobrius & continens eſt, igitur nec ebrietati, nec ſaltationi opportunus. Magno animo eſt erecto: nec vnquam ſuccumbit inimicis, ne fortunæ quidem: alienus igitur à vindicta.

Temporaria.

c l. Quicquid calore de re in. d.

d l. Gracbus. c. de adul. l. verum cōtra. C. de furtis.

Quarta his ſpecies additur σχῆμα, id eſt figura, vt circulus triangulus, quadrā-

De hac specie agitur in l. forma de censſ. & l. i. in rem de rei.vẽ. d. gulus. Hanc alij inter relationes ponere maluerunt, quas nos ad locum repugnã-tium referemus. Hæc autem ſuperiora tria prædicamenta dicuntur abſoluta, quòd ſingula ſine vlla aliarum rerum collatiõe per ſe intelligantur: vt homo, vt magnitudo, vt albedo. Reliqua omnia, quæ ad hæc referri non poſſunt, relatiua appellantur: de quibus infrà dicemus.

ACTIO ET PASSIO.

Actio et paſsio. Actio in perpetuo quodam motu atque fluxu, quem ἐντελέχειαν vocant, conſiſtit. eſt enim relatio ad id quod patitur. Paſſio verò, actionis effectus. Huius formæ ſunt. generatio & corruptio, quæ in ſubſtantia ſunt. Augmentatio & diminutio in quantitate: alteratio in qualitate eſt. Huc referuntur frigere, ſaltare, pallescere, tremere: quæ omnia multas in vtranque partem ſuſpiciones præbent. Turpe eſt ſenem cuiuſlibet rei pœnitere: turpis igitur pœnitentia, quæ admiſſi ſceleris eſt comes. Loc⁹ hic vniuerſam humanæ prudentiæ ingeniíque vim complectitur. Indicat enim atque declarat, quæ ſit hominum vis, natura,

Quàm latè pateat huius loci vſ⁹.

officium, affectus:nec alius frequentior eſt in præſumptionibus teſtium fide,cęteríſque cauſis coniecturalibus.

LOCI EXTERNI.

LOCVS CAVSARVM ET *euentorum.*

Nullius loci perinde atque cauſarum euentorúmque creber eſt vſus, & neceſſaria cognitio. Nam & eum qui magnis de rebus ad Reip. dignitatem pertinentibus facturus ſit iudicium, conuenit cauſas earum rerum omnium, de quarũ vi ac natura quæritur, animo pertractatas habere. Nec vllum genus eſt, in quod non magnus huius pateat vſus. In laudatione aut vituperatione, quid forti atque excelſo, aut contrà inconſulto & præcipiti mentis impetu factum ſit, niſi ex effectis, fine & deſtinatis iudicari non poteſt. Vt ſi quis Achillis ceſſationem in bello Troiano vituperare vellet, quòd ira impeditus militiam detrectauerit: aut laudare quòd magno vir animo indigniſſimam Patrocli cędem ab inimici vindicauerit iniuria, ab euentis & cauſis argumentũ du

Cap. for. de xv. ſig. Cir. 2. de ora. & in top.

cat, neceſſe eſt. In deliberationibus, honeſtas, vtilitas, καὶ δυνατὸν iiſdem ex locis propendent. Nam quid honeſtum, quid vtile, ſiue quid fieri poſſit, efficiens oſtendit. Porrò in iis controuerſiis quæ coniectura excutiuntur, ſuſpicionem arguunt voluntas & poteſtas Peccandi voluntas ex fine, poteſtas ex efficiente colligitur. Pulchrè Cicero & admirabiliter parricidij ſuſpicionem in Sex. Roſcium Amerinum coniectam, à cauſis per locũ impulſionis amolitur. & pro Milone, inſidias à Clodio factas probat. Iuriſconſ. ſic ferè argumentantur: Ceſſante cauſa, ceſſat & effectus. *a* Iidem alteram finalẽ, alteram impulſiuam eſſe volunt: vt illa ſit, quæ conſtitutionibus fuerit comprehenſa: *b* hęc verò quæ in priuatis contractibus ab omnibus conſtituatur. *c* In pœnalibus iniuriis facti indignitatem ex cauſis augeri, vel extenuari ſcribit Clau. Iuriſc. *d* quod vt plenius iuuentuti conſtet, eãque admirabilis veterum iurecõſultorum dignitas atque veneratio ad locorum diſpoſitionem excitet atque impellat, ſubtexui C L A V D. iurecoſs. in l. aut facta. ff. de pœnis, locorum circũſtantiarũmque diuiſionem tanquam in tabula inſpiciendam.

a c. cum ceſſãte de ap. l. in õni. d. de adop. l. Senatoris filius. de ſenatuſc. d. l. generaliter. c. de epiſc. & clericis. b. iux. gl. in l. cũ ta le § falſa de cõd. et demõſ. d. c glo. in l. 2. de dõ. d. Scribit de cauſis multa Iaſon in l. Stichũ. de le. i. d. d. l. aut facta. §. cauſæ. de pœnis. d.

PVNIVNTVR, AVT

- *Facta, vt*
  - *Furtia.*
  - *Cædes.*
- *Dicta, vt*
  - *Cōuitia.*
  - *Inſidæ aduocationes.*
- *Scripta vt*
  - *Falſa.*
  - *Famoſi Libelli.*
- *Conſilia, vt*
  - *Latronū Cōſciētia*
  - *Coniurationes.*

Horum atrocitas creſcit, vel minuitur ductis argumentis à

- *Cauſa, qua magiſtratuū ac parentum emēdationes ab extraneorum iniuriis ſeparamus.*
- *Perſona, cuius ſuprà complexū oſtendimus.*
- *Loco*
  - *ſacro*
  - *profano*
- *Tēpore*
  - *nocturno*
  - *diurno*
- *Qualitate facti, qua expilationes à furtis diſcernuntur.*
- *Quantitate, quæ furem ab abigeo diſcernit.*
- *Euentu, quo voluntariæ inſidiæ à fortuitis caſibus diſtinguūtur.*

Nos de ſingulis argumentis amplius dicemus.

Cauſarũ genera. Maximam ſanè hic locus philoſophis & poëtis, nedum oratoribus dicendi copiã ſuppeditat, quoties ad animi iudicium refertur. Eſt autem cauſa, cuius vi effectus ſequitur. Eius genera quatuor ab Ariſtotele ponuntur: efficiens, materia, forma, finis.

EFFICIENS.

Cauſarũ efficiẽtiũ varia genera recenſet Cic. in Top. Efficiens motum præſtat atque operam rei faciendæ. Huius duplex eſt cõditio. Aliud enim ſenſus eſt expers, & natura agit, exercétque actionem in obiectam materiam: vt ignis naturæ impetu naturaliter obiectam materiam cõburit: aqua humectat: terra fructus producit. Aliud delectu agit, ceſſátque ab actione pro ſuo arbitrio: vt conſul Rẽpublicam, nauiculator nauem adminiſtrat. Maxima propoſitio. Quorũm efficientes cauſæ honeſtæ ſunt, ipſa quoque honeſta ſunt: vt virtus laudem parit, ſequenda igitur: voluptas mœrorem, fugienda igitur. Infirmum eſt argumentum, ſi ex aliis quoque cauſis idem fieri poſſit. Fortitudo efficit ne mortem exti-

meſcamus: ſed non quiſquis mortem de ſpicit, vir fortis erit iudicandus.

MATERIA.

Materia

Materia eſt ſubiectum ex quo aliquid primùm generatur, & in quod corrumpitur vltimum. Maxima eſt, Perempta materia & effectus perimitur. Turcæ nõ habent ferrum, igitur nec tormenta bellica. Brutum animal mente caret, ergo iudicare non poteſt.

FORMA.

Forma.

Forma habitu quodam materiam veſtit ac induit, ad eámque adiacentia referuntur. Nam forma ſi à materia diuellatur, eam propè deſtruit de Vlpiani iureſcõſ. ſententia. a Hinc igitur ſic argumentamur. Perempta forma, quantumuis non mutata materia, rem tamen aliam, quàm prius fuerit, iudicari: ergo ſi ſculpti calicis mutata forma reſtituatur, non liberari debitorem. b Maxima eius propoſitio eſt. Tantum quiſque poteſt, quantum forma permittit: mundus rotundus eſt, ergo rotunditatem habet.

a in l. Iulianus. §. ſi quis rẽ d. ad exhibendũ. l. Seya. §. itẽ quæro de auro, & argẽto leg. cæter. ſq; ſimil9. d.

b d. l. § ſi quis rem.

FINIS.

Finis eſt cuius gratia res fit. Oſtendim⁹ eius vſum in omnibus cauſarum generibus, præcipuè tamen in deliberationibus. Maxima propoſitio. Bonum eſt, cuius eſt finis bonus. Charitas fidem confirmat, colenda igitur. Iuſtitiæ finis eſt animæ felicitas, ergo expetenda. Iureconſul. ſic argumentantur, quæ ad rei cuiuſdam finem ſunt deſtinata, ea omnia ei cedunt.*a*

a l. etſi nō ſit. § per ueniam⁹. de auro & arg. lega. l. cætera. §. pæn. de l. d.

EVENTA.

Euenta cauſarum impulſu eueniunt. vt enim cauſæ ſunt efficiens & finis, ita quod ab efficienti fit effectum: quod in finem certum ordinatur, deſtinatum vocam⁹. Hoc enim modo corporis purgatio ad bonam valetudinem, diligens animi commentatio, ad eruditionis gloriam deſtinatur. Et in ciuilibus cauſis ab euentis iudicatur, licitúſne actus fuerit, an illicitus. In criminalibus iudiciis euẽtus quoque inquit Claud. iurecon.*b* ſpectatur. Vt in dementiſſimo quoque facta (quanquam non minus lex eum qui occidendi hominis cauſa cum telo fue-

b l. aut facta. § euent⁹ de pænis. d.

rit, quàm qui occiderit. puniat) & ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur. *a.* *a de pœnis. d.*

ANTECEDENTIA ET *conſequentia.*

Ex loco cauſarum & effectuum trahuntur & illa quæ Rhetores antecedentia & conſequentia vocant. Antecedentia Boëtius putat per conditionem pronunciari. vt ſi peperit, cum viro concubuit: peperit autem, ergo cum viro concubuit. Eſt enim ea huius argumentationis natura, vt ſi antecedens rectè inferatur, conſentaneum ſit & conſequens, referente Baldo in cap. cum ex officij. de præſcriptionibus, vt ſi conſcripta pecunia mutua, data non eſt, dabitur exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium. *a.* Sed data non eſt, ergo. &c. Extant in eã argumentandi ſententiam. l. 1. § . 1. ff. ſi vſusfructus petatur. l. qui procuratorem. ff. de procura. l. cui iuriſdictio. ff. de iuriſdictio. omnium iud. Si cui iuriſdictio data eſt, conceſſa omnia videntur, quib⁹ ea explicatur. Sed huic conceſſa eſt, ergo &c. Conſequentia verò eodem modo, mutato, tamen ordine & per contra- *Antecedẽtia & cõſequẽtia.* *a l. in contractib. C. de non nume. pe.*

dictionem, & aſſeueranter proferri exiſtimat, hoc modo: Si peperit, cum viro concubuit: non autem concubuit, ergo nec peperit. Si mutuum fuit, tranſlatum quoque dominium in accipientem. *b*, Sed mutuum non fuit, ergo, &c. Porrò ab antecedentibus ad conſequentia rectè argumentamur, cum membra neceſſario cohærent. Stichus Pamphilum bonorum omnium hęredem fecit, ergo charum illum ſibi habuit. Abraham fide iuſtificatus eſt, ergo credidit. Huc pertinent ſuſpiciones illæ, erubuit, titubauit, delituit. Eſtque maxima. Cauſæ natura ſunt priores effectibus. A cõſequentibus ad antecedentia argumentationem teximus. Cato quater & quadragies poſtulatus, ſemper abſolutus eſt, fuit igitur innocens. Clodius nihil rectè aut moderatè in omni vita egit, ſtultus igitur & concitatus fuit. Cicero pro Sex. Roſcio hoc vtitur exemplo. Si lege Roſcius occiſus eſt, bona quoque lege vænîſſe fateor. Sin autem conſtat contra omnes non modo veteres leges, verumetiam nouas occiſum eſſe: bona quo iure, aut quomodo, aut qua lege venierint, quæro.

b l. 2. §. appe. ff. ſi certũ pet.

Ab antecedentib⁹ ad ſequẽtia.

A conſequentib⁹, ad antecedentia.

APPLICITA.

Inter applicita numerantur locus, tempus,connexa,tria videlicet prædicamenta. Locus varios habet flexus. Nam & circa iuris litem verſatur, cùm quærimus priuatúſne locus an publicus,ſacer an prophanus ſit. Locus enim vt refert Claud.iureconſ. *a* facit vt idem vel furtum vel ſacrilegium ſit, & capite luendum vel minore ſupplicio. Idem alio loco liceat vel non. *b* Hinc enim illæ quæſtiones:adultérne occiſus, an cædes facta fuerit: furtum an ſacrilegium cõmiſſum. & in cauſarum genere omnia incidit,ſi quidem frequens laudatio, aut vituperatio à patria,ciuitate, & regione petitur.Qualis eſt Siciliæ laus apud Ciceronem. In conſiliis montanus an planus,maritimus an mediterraneus, frequens an deſertus, fœcundus an ſterilis, opportunus conſiliis an aduerſus ſit ſpectamus,quæ ipſa in coniecturales actiones incidũt:videmúſq; loci περίςασιν in ꝓbãdis inſidiis à Clodio factis vehemẽtiſſimè à Cicerone tractatã:quemadmodũ ꝓ Roſcio & Deiotaro in depellẽdis

Locus *a l. aut facta de pœnis. d.* *b l. ſed etiã de in ius vocã do. d.l. ſi del. c. de iis qui ad eccle.confug.*

ſuſpicionib⁹. Ad qualitatem quoque attinet, quia idem non vbique aut fas eſt, aut decorum teſte Ariſtotele. Nec ſententia in lupanari, popina, aut alio in loco inhoneſto vim authoritatémque habet. *c* Quemadmodum etiam vel ad cõmendationem vel inuidiam pertinet. *d*, præcipuè tamen ad adhortationem, qualis eſt illa Catilinæ adhortatio ad milites apud Saluſtium. Magnam ſanè controuerſiam & diſputationem applicita apud iureconſul. paſſim faciunt, extátque inter libros Pandectarum titul. de eo quod certo loco dari oporteat. titul. de conſti. pecu.

c l. cũ ſententia. C. de ſententiis & interlocutio omnium iud. li. 7.

d l. item Mela. §. ſi plures. ad Aquiliam. d.

TEMPVS.

Eadem ferè eſt temporis quæ & loci in ciuilibus actionibus ratio. Diſcernit enim referen. Claud. iureconſul. emanſorem à fugitiuo, & effractorem vel furem diurnum à nocturno, magnam probationis fidem faciens diligenter inſpecta. Diuiditur autem in conſtituta ſua diſcrimina & occaſionem naturalem, captiuam atque euidentem. quam Græci καιρὸν vocant, quam idem Cicero in oratione pro Milone diligentiſſimè tracta-

Rep. l. quis ſit fugitius de ædit. edic. d.

uit. Monet in omni vita, nedum forenſibus, diligenter obſeruandum, quid, quo loco, ac tempore deceat dedeceatque. Vt enim Horatia quòd in publico ciuitatis gaudio, hoſtem luxerit, parricidij occaſionem victori fratri dediſſe iudicatur: ita probro ab Antonio verſum Ciceroni fuit, quòd inter armorum ſtrepitum oppreſſa propè libertate publica, locis ac dicteriis diffluere viſus ſit. Obiicit quoque Piſoni Cicero, quòd in maximis Reipub. luctibus profuſam lætitiam exercuerit. Incidit hic locus in omnia cauſarum ciuiliúmq; genera. quod amplius Quintilianus ſcribit libr. 5. cap. 10. Extat quoque in hanc ſententiam inſinis gloſſa in l. denique diuus §. minorem, in verbo momentum. ff. de minoribus 25. an. l. aut. facta § temp'. ff. de pœnis. Panormitanus in capit. ſcribam. de præſcript. *li. 1. offic.*

CONNEXA.

Connexa dicuntur, quę nec rei inſunt nec ſunt cauſa rei, nec eam circunſtant vt adiacentia, ſed extra rem ſunt à qua denominationem accipiunt vt diues, inops, peregrinus, alienus. Horum vſus *Connexa*

eſt in coniecturis, deliberationibus, & demõſtrationibus. Nã & diuites laudamus diuitiis ad liberalitatem vſos. Et voluntatem ferè arguit perſonæ qualitas. eſtque aliud in paupere, aliud in diuite probabile. Aliter item puniuntur ex iiſdem facinoribus ſerui quàm liberi: & aliter qui quid in dominum parẽtémue auſus eſt, quàm qui in extraneum: in magiſtratum, quàm in priuatum. Vulgus ferè iuriſconſ. ex hoc loco ſic diſputat: Ex coniunctim requiſitis non ſufficere alterum eſſe. *a.* Quo in loco Iaſon ampliſſimum huius argumentationis vſum oſtendit. Eſſe autem creberrimam horum applicitorum tractationem cùm in contractibus, tum in criminalibus actionibus, & pœnis, documento eſt lex aut facta puniuntur. ff. de pœnis.

a documẽto l. Fulcimus §. cum hoc. d. quibus ex cauſis in poſ. eatur. l. ſi p alium §. docere d. ne quis eũ qui in ius vocat⁹. d.

ETYMOLOGIA.

Etymolog.

Ab etymologia, id eſt nominis interpretatione ducitur argumentum hoc modo: Si conſul eſt, qui conſulit patriæ: quid aliud fecit Opimius? Hic argumẽtandi locus ad iureconſultos interim ſpectat. vt in cauſa Mancini de poſtli-

minio. Vſus eo Euripides in Polynicis nomine, Cicero in Verrem & Chryſogonum. Sed vſus eius & rarus & infirmus eſt. Quatenus autem argumentum præbeat, ſcribit doctiſſimè Alciatus, a & Bartolus, b D. Vldaricus Zaſius. c. Vt enim ab ipſo vocabulo ad eius interpretationem affirmatiuè argumentamur, veluti: mutuum eſt, ergo de meo factum tuum. d. ita infirmum eſt argumentum ab interpretatione ad ipſum vocabulũ affirmatiuè ductum. vt de meo tuum factum eſt, ergo mutuum. quid ſi per venditionem tuum factum ſit? Quare negatiuè tantum ab ipſa etymologia argumentamur. vt non eſt de meo factum tuum, ergo non eſt mutuum.

a in l. Taberna. de ver. & rerũ ſig. d.
b in l. 1. de furtis & l. tuguri. de ver. & rerum ſigni. d.
c in l. 1. de acqui. poſ. d.
d l. 2. §. appel. de reb. cred. d.

FACVLTAS.

Facultas

Non ineptè fortaſſe his ſubiungitur facultas, ad quam etiam inſtrumentum referri volo. Oſtendit enim faciendi, aut non faciendi facultatem, in coniecturis, deliberationibus, & iudiciis: in quibus excuti ſolet an voluerit quis, an potuerit, poſtremo an fecerit. Cicero ſanè eo loco in oratione pro Milone collatione facultatis Clodij &

Milonis:pro Roſcio, & pro rege Deiotaro vehementiſſimè eſt vſus. His alij adiiciunt τρόπον,id eſt modum,quo præcipuè coniectura, qualitas atque ſcriptum adiuuatur,vt ſi dicas,bono animo factũ, ideo palã: malo,ideo ex inſidiis:aut negas adulterum veneno licuiſſe occidere. A modo inuidiam auget Cic. in Piſonẽ: quem ne maiorum quidem, inquit, more ſupplicio affeciſti,quum miſer ille ſecuribus hoſpitis ſui ceruices ſubiicere geſtiret:ſed ei medico,quem tecum eduxeras imperaſti, vt venas hominis incideret.

Modus.

COMPARATA.

Comparata Cic.in Top. & probat.

Comparatio.

Comparata quæ adiuncta nonnulli, Fabius comparatiua vocat, maiora ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Eſt autem comparatio cùm duo aut plura in tertio aliquo communi aut etiam pluribus conferuntur,vt eſt illa Saluſtij: Maiores veſtri parandi iuris & conſtituendæ maieſtatis gratia,per ſeceſſionem,armati bis Auentinum montem occupauêre: vos pro libertate, quam ab illis accepiſtis, nonne ſumma ope nitemini? atque eo vehemẽ-

tius,quòd maius dedecus eſt parta amittere,quàm omnino non parauiſſe. Hæc cum orationi amplificandæ mirificè cõducant, tum vel imprimis iuuant coniecturam. Apud Comicum talis eſt à maiori : Nam qui mentiri aut fallere inſuetit patrem,aut audebit : tanto magis audebit cæteros. Ex minori apud Ciceronem pro Milone: Si lex duodecim tabularum permittit nocturnum occidere furem,quid latronem? Cicero in offic. Si turpitudo in corporis deformitate aliquid habet offenſionis, quanta illa deprauatio & fœditas animi turpificati videri ſolet? A pari, Si abſtinentia eſt virtus, eſt & continentia. Cicero in Anton. Philip.2. Vt Helena Troianis,ſic iſte huic Reipub. cauſa belli, cauſa peſtis atque exitij fuit. Sed huius multiplices ſpecies in tam infinita rerum comparatione anxiè explicare nihil attinet. Iuris interpretes, qui topica ſcripſerunt, ſic argumentantur: Si id quod magis ineſt non prædicatur,neque id quod minus.gl.1 in leg. ſecundo. C. in quibus cauſ. in integ.reſt.non eſt neceſ.Bald.ſecundo.leg. Si quis non dicam rap. Cod. de epiſcop. & clericis.

SIMILIA.

Similia.

Similia iiſdem ex locis quibus & cõparata ducuntur, nempe ab antecedentibus: qualis eſt illa ſimilitudo Medeæ ex Colcho proficiſcentis apud Ciceronem pro lege Manil. A conſequentibus, qua Cicero in oratione pro Muræna vſus videri poteſt. Nam vt tempeſtates ſæpe certo aliquo cæli ſigno commouentur, ſæpe improuiſo nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa concitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit, ſæpe ita obſcura eſt, vt caſu excitata eſſe videatur. Ab adiũctis, illa Cicc. pro Roſcio anſerũ, qua importunam ac iniquã Erutij actionem inſectatur. Ex hoc genere ſunt illæ Ciceronis pro A. Cluentio corporis humani cum ciuitate. Equi deſultorij pro Murena. Saxorum pro Archia. Helenæ cum Antonio in Philip. i. Menenij Agrippæ de diſcordantibus membris apud Liuium, talis item eſt. Quemadmodum medici leuiter ægrotantes leuiter curant, grauioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur: ita nos in leuibus periculis, non valde perturbari, in grauioribus Reipub. motibus pericu-

Similitudo eſt in diuerſis cauſis vel rebus vna et quaſi eadẽ ratio et qualitas. bal. l. j. de fuit. C.

Hæc ſunt ex officiis deſũpta.

lis nos offerre, ac pro patriæ libertate vitam profundere debemus. Paſſim iuuẽtus ſimilitudines ex bonis authoribus decerpat. Nos etiã aliquot inſignes indicaturi eramus, niſi hanc diligentiæ atque induſtriæ laudem nobis præripuiſſet, felix illud atque auſpicatũ ęratis noſtræ decus Eraſmus Rote. Afferunt autẽ maximam rebus obſcuris lucẽ. & præter quam quòd mouẽdis affectibus ſunt accommodatæ, rudes etiam auditorum animos ipſa rerum imagine captatos, ac veluti ſtupidos in quamlibet pertrahunt opinionem. Plus tamen conſenſionis apud ſequacem auditorem merentur, quã vel fidei, vel probatiõis apud renitentẽ. Nam infirmæ ſæpe ſunt ad probandum, cum nulli⁹ adeò rei ſimilitudo alteri per omnia conueniat, & occupatos animos ſæpe fallũt. Quare iis iudicium adhibẽdum, ne ſimilitudinis facie decepti cum riſu cõfundamur, exemplo Aſpaſiæ Xenophontis vxoris à Socrate per ſimilitudinẽ circunuentæ. Neq; enim vt rectè eam laudaueris, quæ rerum ſuarũ cõmunitatem cunctis benignè deferr, ita & ea laudari poteſt, quæ corporis formæque cõmunionẽ cęteris facit. Par ꝓbationis fides à diſſimilib⁹ ducitur. Cic. in oratiõe

Eraſmi. ſimilitudines.

Simitudines ad ꝓbãdum infirmæ.

ad Quir. poſt reditum: Atqui in officio perſoluendo diſſimilis ratio pecuniæ debitæ eſt: propterea quòd pecuniam qui retinet, non diſſoluit: qui reddidit non habet: Gratiam & qui retulit habet: & & qui habet diſſoluit. Refert eandem ſententiam, commutatis tantum verbis, lib. offic. 2. Ad hunc locum referri, ſi cui videbitur, loci illi poſſunt, quos recentiores iureconſulti in topicis ſuis tradunt, non enim in eam curam cogitationémque incumbo, vt legalia topica tradam, ſed certum aliquẽ in forenſibus cauſis tractandis rhetorices declarem vſum.

REPVGNANTIA.

Repugnantia. Repugnantia ſunt, quæ in eodem ſimul exiſtere non poſſunt. Horum vſus frequentiſſimus eſt in amplificãdis illuſtrandíſque cauſis. *Repugnantiũ vſus.* Nam collatione contrariorum omnia fiunt & ampliora & illuminatiora. Sic enim virtus vitiorum, bellum pacis, cõtinentia libidinum collatione ſub aſpectum magis ſeſe offert. *Diuiſio repugnãtium.* Diuiduntur autem in oppoſita & differentia. Oppoſita certam & natura ſua deſtinatam habent repugnantiam. Horum ſpecies quatuor facit Ariſtoteles: contraria

traria, relatiua, priuantia, contradicentia.

Contraria eiuſmodi ſunt qualitates, quæ in eodem ſimul exiſtere non poſſunt, in diuerſis ſubiectis poſſunt, vt calidum & frigidum: humidum & ſiccum: fides, perfidia: dies, nox. l. Hæc verba. ff. de verb ſignific. Sic frugalitas virtus eſt, vitium igitur luxuria. cognito enim ex contrariis vno, contrarium quoque cognoſcam⁹ oportet. l. ex duobus, cum ſequente. ff. de vulg. ſubſtit. l. 1. ff. de iis qui ſui vel alieni. Vulgus iuriſconſultorum vocat argumentum à contrario ſenſu, cuius Bald. meminit in l. Conuenticulam Co. de epiſco. & cleric. argumento. l. i. § . huius rei. ff. de officio eius cui mãda. eſt iuriſdic. *Cõtraria*

Relatiua Ariſtoteles πρός τι appellat, quæ ſine collatione eſſe non poſſunt, vt ſeruus & dominus, pater & filius, pars & totum: vt Commodus eſt filius Marci, non ergo pater. Trahuntur relationes ex ſuperioribus locis: ex ſubſtantia, vt pater & filius: ex qualitate, vt ægrum, ſanum, ius ſcriptum, ius non ſcriptum, ius humanum, ius diuinum: ex quantitate, fundus paruus, fundus magnus: ex numeris, par impar: ex volũtariis actio- *Relatiua de quibus cap. per noſcas de iur. pat. l. præter de Tut. Cur. dat ab l. n. d.*

nibus, emptio venditio,locatio,conductio. Omnia enim nomina,quæ in ſuperiores claſſes cogi nequeunt, huc referuntur. Propria eius natura eſt, vt relationi reſpondeat ſuum correlatiuum, idque etiam probatur.l. Si cum dies. §. penult. ff. de arbitris. l. Iulianus. §. Si procurator. ff. actio. empti. Et quod in correlatiuorum altero cauetur, in vtroque cautum eſſe videatur: Bart.in.l.fi.ff. de accept.l.1.Co.de cupreſſ.lib.11.l.2.&. l.culpa.Co. de malef. & mathem. quod enim turpe vel docere,idem & illicitum perdiſcere.

Priuãtia Priuantia cum habitum abeſſe indicant,quem natura adeſſe voluit,vt mutus eſt,non igitur loquitur:cæcus eſt, ergo nihil cernit.

Contradicentia. Contradicentia nunquam ſimul, aut veræ aut falſæ propoſitiones eſſe poſſunt, vt ſi vera ſit propoſitio, Cæſarem clementem eſſe, falſa ſit oportet, Cæſarem non eſſe clementem. Sic Paulus ad Rom. Euãgelium eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti,ergo in perditionem omni non credenti. Extant huius argumẽti.l.1.ff. de vino & trit.& oleo legat.

Differentia. Differantia non ſibi ex oppoſito repugnãt,ſed ſubſtãtiis inter ſe ſunt dimota,

vt quidam medij colores, flauus, cæruleus, ruber, viridis: vt item ſaporũ ſpecies, aut virtutum, vt temperantia, fortitudo &c. Monent Dialectici differens & idẽ dici aut genere aut ſpecie, aut numero: & hoc poſtremum rurſus quatuor modis dici, nomine videlicet, finitione, proprio & accidente. exempla non ſunt obſcura.

His, ſi quis volet, adiungat diſparata, vt platanus arbor eſt, non eſt igitur lapis. Rhetorica bene dicendi ars eſt, non igitur temeraria ac incerta loquendi profluentia. Huius generis ſunt teſtamentum & codicillus. l. Si idem. Co. de codicillis: emptio locatio. l. 1. ff. locati. Fabius Quintilianus argumentum ab aſſeueratione ducit, quod certè apud iureconſultos infirmum eſt. l. Neque profeſſio. Co. de teſtam. & Bart. *Diſparata.*

Porrò vt parui fortaſſe ſit beneficij, fœcundum habere agrum, niſi illum colendi diligentia ad omnes fructus producendos exerceamus: ita facultatis erit non magnæ, paratam aliquam locorum copiam numerúmque habere, niſi ita in mente & cogitatione eos teneamus defixos, vt non modo in forenſibus diſceptationibns, ſed omnino in

omni dicendi genere, quicquid de rerum natura ac proprietate dicendum ſit, promptum expeditúmque & veluti ad manum poſitum habeam⁹. vt quemadmodum palæſtritæ nunc cæſim, nunc punctim aduerſarium petunt: & ictum varia excipiunt arte, feriúntque grauius incautum: ſic in altercatione aduerſarij nos obiectionem multiplici argumentatione diſſoluemus, inſtantem acumine confodiemus, cædētem viribus proſternemus. Hunc rerum vſum propoſitæ ἐκφράσεις, aut themata aliquot, qualia apud Quintilianum ſunt permulta, in quibus explicandis, iuuentus ſuas periclitetur vires, erunt proponēda. Paratur hinc cùm multarum rerum cognitio copia, ac veluti theſaur⁹, tum vel maximè iudicium atque elocutio, quæ rebus infixa hæret.

DE EXEMPLIS.

Exēpla. Tertia artificialis probationis pars eſt, quę Græcis παράδειγμα, Latinis exēplum dicitur, vtilis quædam vel ad vitæ imitationē, vel perſuaſionem rei geſtæ vel vt geſtæ cōmemoratio. Mirā habēt in omni vita ciuili benè ac feliciter cō-

ſtituenda, nedum forenſibus cauſis, cùm gratiam tum dignitatẽ exempla. Nam & copioſam quandam ad informandos mores ſuppellectilem præbẽt, ceu imagines & ſpeculum humanitatis, vnde documenta petantur, quibus & Reip. dignitas conſeruetur, & publicis priuatíſque rationibus rectiſſimè conſulatur. Nec hoc ſolum præſtant, vt in omni humani officij actione animos noſtros atque mentem excellentium virorum præclarè factis ac dictis ad omnem honeſtatem conformemus, ſed alieno vt iudicio dubiis in rebus fruamur: alieno etiam vel periculo vel conſilio, quod fœdum inceptu, fœdum exitu ſit, deuitem⁹. Horum vſum his verbis declarat Cice. lib. 2. accuſat. in Verrem: Expectant, inquit, ij qui audiunt, exempla ex vetere memoria & monimentis ac literis, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc plurimùm ſolent & auctoritatis habere ad probandum: & iucunditatis ad audiendum. Sumuntur autem omnia aut à ſimili, vt iure occiſus M. Manilius ob regnũ affectatum, ſicut Spurius Melius. A diſſimili, Marius & Sylla in ciuili diſſidio per ſenatus populíque inermis viſcera ſunt graſſati, Cæſar ſuis om-

nibus pepercit. A contrario, Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadem ſocijs abſtulit. A maiori, Si ob proditam libertatem Brutus proprios occidit liberos, debet pũniri & transfuga. A minori. Achiui ob vnius raptum Helenæ Troiam euerterunt, quę igitur ſatis magna pœna Romanis ob raptum Sabinarum eſſe poteſt? Erunt autem exempla tractanda pro cauſæ vtilitate aut decoro. Huc etiam pertinẽt Æſopi ac poëticæ fabulæ, χρεῖαι, ἀποφθέγματα, γνῶμαι καὶ παροιμίαι, & ſi qua ſunt alia: quæ inter pronunciata referre maluimus.

Fabulæ.

ARGVMENTATIONES RHETORICAE.

Argumẽtationes rhetoricæ.

Orationis viſcera ac veluti nerui ſunt argumentationes, in quibus vniuerſa vincendi perſuadendíque vis conſiſtit. Harum ſpecies varias effingunt artium ſcriptores: nobis potiores perſequi viſum eſt, vt quoniam de argumentorum materia, quæ frequentiſſima videbantur, præceperimus: nunc etiam argumẽtationum formas aliquot explicemus. Et quamuis ſuprà indicauerim' cogna-

tionem quam inter ſe habent artes omnes, hic tamen obiter ſignandum erit, quem argumentandi morem rhetor, quē item dialecticus ſectetur. Nā hic ſtudet in ſchola philoſophorum vera colligere veris, de ſola probationis fide ſolicitus, omnis verborum curæ expers. Ille apud circunfuſam populi affluentiam, & imperitam plerúnque plebē, ex probabilibus fidem quærit, non magis ex ipſis rerū probationibus quàm ingenij fama propendens. Hic certas quaſdam ſyllogiſmi formas, ac veluti naturalem ingenuámque rei ſubſtantiam, nullo alieno cultu veſtitam, proponit ſpectandam. Ille etiam rerum pulchritudini ſuū addit ornamentum. Hic rerum vim ac naturam non liquido orationis filo, non fuſo, non profluenti, ſed exili, arido, cōciſo atque minuto demonſtrat. Ille populari, locupleti, ac ſpecioſo eloquentiæ lumine omnia illuſtrat. Hic in enunciandis exornandíſque argumentis mutus, in iudicandis loquax eſt. Ille audiētium mentes admirabili benedicendi vbertate permotas in ſui rapit admirationem: & argumētationes omni orationis copia, omni venere ac gratia complet, aliā ſubinde ex alia ꝓbationē cōnectēs.

Quid interſit iter dialecticē et rhetoricem.

Tres Dialecticæ partes.

Placuit autem ſummis artium ſcriptoribus tres eſſe Dialectices partes, inuentionem, iudicium, & argumentationem. Inuentione locorum ordinem, iudicio prædicabiles voces & κατηγορίας explicari. Nos de vtraque parte diximus viã quandam munitaſſe contenti, nõ vt copioſos ſcriberemus commentarios. Argumentatio certè ſyllogiſmorum figuras ac modos complectitur: pars vt omnium maximè neceſſaria, ita & difficillima. Nam quemadmodum turbati exercitus quantumuis copioſi, ipſi ſtragem ſibi calamitatémq; conſciſcunt: ita ſparſa paſſim argumẽta & veluti auulſa mẽbra, niſi appoſitis contexantur argumẽtationibus, cauſam adeò non communiunt, vt ipſa etiam rerum argumentorúmque diſſoluta confuſione vehementer obſcurent ac deſtruant. Cùm etiam ipſa elementorum rerúmque vniuerſitas, niſi ſuis compacta neruis, ſtare diu non poſſit. Sunt enim argumentationes cauſarum nerui, quibus omiſſis, vel diſſolutis, vniuerſum eloquentiæ corpus congiſum ac infirmum ſit oportet. Vt enim corporis pulchritudo, niſi apta cõſentientíque membrorum compoſitione ſit contexta, aliorum in ſe oculos cõ-

Argumẽtatio pars omnium neceſſaria et difficillima.

uertere non poteſt,ſic oratio hac virtute carens ſine vlla gratia,ſine admiratione, ſine victoriæ ſpe temere flui ter neceſſe eſt. Et quoniam rhetor à dialectico argumentationem mutuatur, repetamus paulo altius argumentationum veluti prima elementa. Nam Cicero, Hermogenes, Quintilianus, cæteríque ita obiter, & in trãſcurſu argumentationes tractarunt, quaſi res omnibus ſit cognita: nec tam doceri, quàm indicari debeat. Mihi in hanc rem maior collocanda videbatur opera: propterea quòd hodie ſic diſcuntur rhetorica, neglecta prorſus diſſerendi arte, veluti nugatoria cauillatrice, quaſi non magnopere illa ad formandum iudicium conducat, aut vlla alia ſtudij pars æquè ſit neceſſaria: quam & Plato hoc ipſo cunctis diſciplinis anteponit, quòd ſola ferè, quid in quaque re probabile, quid cauſæ cognatum aut repugnans ſit, in rem ducat præſentem: eáque neglecta nulla eruditionis gloria ſperari, nullæ cauſæ magnæ explicari, nulla denique artiũ cognitio tradi poſſit. Alij etiam guſtatis tantum rhetoricis & paululũ quiddam vltra prima artium initia progreſſi ad ciuile ius, ad medicinam, ad reliquas facultates, illotis, vt a-

Argumentatio, quomodo à Rhetoribus tractata.

Vtilitas dialecticæ, ex Platone.

iunt, manibus pedibúſque, nulla ingenij commendatione, ſed falſa ſcientiæ perſuaſione impulſi obrépunt. Quorum importunitate ac præcipiti quadam dementia, ſuus bonis diſciplinis decreſcit honos, & erudita etiam humanáque ingenia ægrè ſuam apud omnes gratiam tueri poſſunt: quæ mihi fuit cauſa minora quædam & vix oratorio ſpiritu digna hic tradendi.

Syllogiſmus.

Syllogiſmus ergo ex duabus propoſitionibus & concluſione conſtat. Propoſitionem vocamus orationem indicatiuam, quæ citra ambiguitatem verũ aut falſum ſignificet. Cicero pronunciatũ & proloquium, Stoici ἀξίωμα; alij enũciationem vocant. Eius partes ſunt nomen & verbum. Pars prior Ariſtoteli ὑποκείμενον, id eſt ſubiectũ dicitur, vt voluptas: poſterior κατηγορούμενον, hoc eſt prædicatum, vt voluptas parit dolorem. Atque hæc propoſitio categorica dicitur, quod vnum quiddã vni rei tribuat. Nam cum duæ categoricæ conſuuntur copulantúrque cõiunctione, hipothetica vocatur propoſitio: vt ſi mulier peperit, cum viro coiuit: & dies & lux eſt. Profertur enim & per conditionem, & & per copulationem, & nonnunquam

Propoſitio.

Propoſitionis partes.

Propoſitio duplex.

etiam diſiunctionem, vt aut mulier eſt, aut virgo: eiúſque vſus frequentior eſt in loco antecedentium & conſequentium.

Sed categoricæ propoſitiones qualitate differunt: aliæ enim ſunt affirmatiuæ,& aliquid ſubiecto adeſſe enunciãt: vt Philippus Macedonum rex facilitate, & humanitate omnibus egregiè antecelluit. Negatiuæ, quibus aliquid ſubiecto adimitur, vt nemo in amore ſapit. Eſt autem diligenter obſeruanda negationum natura. Neque enim hæc negatiua eſt, nemo non captat occaſionem ſuis blandiendi affectibus.

Categoricarum propoſitionum prima diuiſio.

Differunt & quantitate, quarum aliæ ſunt vniuerſales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ, aliæ ſingulares. Sũt autẽ vniuerſalium propoſitionum σιωκατηγορήματα, omnis, nullus, nemo, quilibet: omnis honoris ambitio ſeruilis & miſera eſt. Nulla fides regni ſociis, omníſq; poteſtas Impatiens conſortis erit. Nemo qui iratus eſt, mediocritatem illam inter nimium & parum tenebit. Particularium ſigna ſunt, quidam, aliquis, quidam non, quidam res bellicas ciuilibus anteponunt. Indefinitæ ſignis carent, repræſentántque vniuerſales, vt homi-

Propoſitionum categoricarũ ſecunda diuiſio.

nis eſt dignitatem ſuam tueri, nec vnquam à naturæ ſtatu diſcedere, ſapientum etiam animos res ſecundæ fatigāt. Singulares ſunt propoſitiones, in quibus ſubiectum eſt nomen proprium, vel indiuiduum, vt Callicratides priuatæ gloriæ ſtudio Rempub. ſubuertit. Fabius cunctando reſtituit collapſam Romanorum gloriam. Et, vt homo hic eſt, ita morem geras.

Tertia propoſitionum categoricarum diuiſio.

Faciunt Dialectici hanc tertiam propoſitionum diuiſionem, quòd alia ſit vera & rebus ipſis conſentiens, vt anima immortalis eſt, animi bona nullis fortunæ inſidiis præripi poſſunt. Alia falſa, vt mundus fortuito caſu regitur.

Neceſſaria propoſitio.

Quarta propoſitionum diuiſio eſt, qua alias neceſſarias, alias contingentes dicimus. Neceſſariæ ſunt, quando definitio tribuitur definito. Exempla ſuprà tradidimus. Contingentes ſunt, quando ſubiectis adiacētia tribuuntur, vt Pompeius gloriæ cupidus eſt.

Contingens propoſitio.

DE OPPOSITIONE.

Oppoſitio.

Cùm hic ſit præcipuus Dialectices vſus, vt certo animi iudicio verū à falſo diſcernamus, cauendum ante omnia ne

ἀμφιβολίᾳ vtamur, aut dicam' repugnãtia: eóque oppoſitionem vocant, cùm duæ propoſitiones eiuſdem ſubiecti & prædicati repugnant. Sunt autem harum ſpecies contrariæ, ſubcontrariæ, contradictoriæ, & ſubalternæ. Contrariæ ſunt duæ vniuerſales, quarum altera eſt affirmatiua, altera negatiua. Hæ ſimul veræ eſſe non poſſunt, falſæ in contingentib' eſſe poſſunt, vt omnes trahimur laudis ſtudio. Nullus trahitur laudis ſtudio.

Oppoſitionũ ſpecies

Contraria.

Subcontrariæ propoſitiones duæ ſunt particulares, altera affirmatiua, altera negatiua. Hæ ſimul veræ in contingenti materia eſſe poſſunt, vt quidam laudis ſtudio trahuntur, quidam non.

Subcontrariæ

Contradictoriæ nunquam ſimul veræ aut falſæ eſſe poſſunt. Sunt autẽ aut vniuerſalis affirmatiua, aut particularis negatiua, aut duæ ſingulares, vt Cicero gloria ducitur, Cicero non ducitur gloria.

Contradictoriæ.

Subalternæ non repugnant: ſunt enim aut affirmatiuæ, aut negatiuæ, & particulares ſub vniuerſalibus poſitæ. Nullus in amore ſapit. Quidam in amore non ſapit.

Subalternæ.

Addunt his dialectici propoſitionum conuerſionem, cuius vſus quoniam cõmunis ſermonis conſuetudine diſcitur,

Conuerſio.

neque latè admodum patet, non eſt viſum præceptis iuuentutem onerare.

Propoſitionis & ſyllogiſmi partes

Ex propoſitionibus connectitur ſyllogiſmus, ſiue oratio in qua ex duabus enunciationibus concluſio neceſſariò colligitur. Eius membra ſunt tres termini, maior, minor, & medius. Maior κρινόμενον rhetoribus appellatum in priore propoſitione: Minor quæ & ἄιτιον appellatur Græcis, in ſecunda tantum: Medi⁹ in vtraque ponitur. Ita ſolum tres erunt voces ſiue termini, & tres item propoſitiones: quarum prima maior, ſecunda minor ſiue aſſumptio, tertia concluſio appellatur. Vt autem ex tribus terminis tria conficiantur pronũciata, ſinguli bis ſumantur oportet, vt Omnis animi perturbatio cum naturæ ſtatu pugnat, Omnis cupiditas animi gignit perturbationem, Ergo omnis cupiditas cum naturæ ſtatu pugnat.

Dialectico, qui ſuo quaſi iure τοπικὴν ἢ κριτικὴν ſibi vendicat, nudis his partibus rem controuerſam, ad liquidum confeſſúmque perduxiſſe, ſatis fuerit. Rhetor imperitos vulgi animos non argumentationibus ſolum, verumetiam delectatione, eloquentiæ viribus, ad-

miratione ac gratia in ſuam pertractu-
rus ſententiam, locupleti ac ſpecioſo e-
loquentiæ lumine res obſcuras illuſtrat:
& nuda veluti argumentorum oſſa, ho-
neſta verborum rerúmque pulchritudi-
ne veſtit ac induit, ſingulis partibus ſu-
um addens ornamentum, ne conciſa
verborum humilitas contemptionem,
argumenti ſeruitus tædium, ſimplex ille
ſermonis habitus ſatietatem faſtidiúm-
que gignat.

Regulæ in collegẽdis ſyllogiſmis obſeruãdæ.

Monent Ariſtotelici ex ſolis negati-
uis, ex ſolis item particularibus non
poſſe ſemper effici ſyllogiſmum. Dein-
de obſeruandum eſſe, ne vnquam plus
in minore ſit propoſitione, quàm fuerit
in maiore: ſempérque efficiendum, vt
maior ſit vniuerſalis, maiorîſque ſubie-
ctum id complectatur, quod ſub eo ſu-
mitur in minore in prima figura. Iidem
quid ſit de omni, & de nullo prædicari,
regulatiua quædam principia tradunt:
vt de omni dici id ſit, quoties nihil in
ſubiecto ſumitur, de quo non dicatur
prædicatũ, vt omnis homo eſt animal,
nihil ergo eſt hominis de quo nõ prædi-
cetur animal, ergo & de ſingularibus &
indiuiduis idẽ dicetur. De nullo aũt dici

id ſit, quoties idem de ſubiecto & prædicato remouetur. Non eget magnopere his præceptis qui ſenſum communẽ conſulit. Natura ſi quidem eiuſmodi artis ſeminária, vt alias pleraſque τὰς κοινὰς ἐννοίας animis noſtris inſeuit, quibus rerum naturam peruidemus.

Tres eſſe ſyllogiſmorum figuras ſeu potius genera.

Porrò ſyllogiſmorum figuras tres faciunt, pro ipſa terminorum οἰκονομίας, & harum ſingulis ſuos ſubiiciunt modos. Primam vocant in qua medium eſt in maiore ſubiectum, in minore prædicatum: eiúſque primi quatuor modi ſoli perfectos conſtituunt ſyllogiſmos. Et quo melius diſcerni poſſent, certa quædam artis vocabula illis impoſuerunt, qualia ſunt Barbara, cuius ſuprà poſui exemplum, Celarent, Darij, Ferio. In quibus ádoleſcentes obſeruabunt propriam quandam vim ineſſe. Nam ā vniuerſalem affirmatiuam, ē vniuerſalem negatiuam, ī particularem affirmatiuā, ō particularem negatiuam ſignificat, vt ſit CELARENT.

De his exempla vide a-

Nullus ambitioſus præſentem fortunam benignè ámplectitur,
Omnes diuites ſunt ambitioſi,
Nullus igitur, &c.

DARII.

Omnis inſidiator iure occiditur
Clodius eſt inſidiator,
Iure igitur occiſus.

pud Oed. in Top. et Hegēd. in dialectica legas.

FERIO.

Nulla voluptas flagitio parta ſolida eſſe poteſt
Tarquinij voluptas flagitio fuit parta,
Solida igitur eſſe non potuit.

Mihi ſanè quamquam horum neceſſaria videatur cognitio ad parādam certā aliquam & rectam dicendi facultatem iudiciúmque, ne tamen nouitatis quodam ſtudio, artes pulcherrimas confudiſſe videar, viſum eſt ſolam iuuentutē admonere, vt alto animi ſenſu ac naturæ impetu, quam inter ſe dialectica ac rhetorica cognitionem habeant, diligenter peruideat. Sunt enim ſic cognata, vt pariter fortaſſe tractari, diuelli ac ſeparari non poſſint. Si quis tamen præcepta requirat, habet inſignes artifices, quos noſtra ætas magno bono publico protulit, quorum commentarij cùm artis cognitionem, tum etiam vſum mira felicitate oſtendunt.

Dialectica & rhetoricæ cognatio.

ἐπιχείρη-μα ſeu ratiocinatio. Eſt autem omnium argumentationũ ea perfectiſſima, quę Gręcis ἐπιχείρημα, Ciceroni ratiocinatio dicitur, quæ ex propoſitione & aſſumptione certam elicit concluſionem ad hunc ferè modum. Propoſitio: Sola animi bona cum ipſa corporis fragilitate non intermoriuntur. huic ornandæ additur ratio: Nam & ea anteactæ vitæ pleniſſimam gratiam referunt, & nominis noſtri commemorationem cum omni poſteritate adæquant. deinde infertur aſſumptio: Eruditio autem atque honeſtas animi ſunt bona. Probatio eius: Si quidem illa animos humanos noctes atque dies virtutis ſtimulis ad omnẽ rerum pulchritudinem impellũt, nullis neq; tẽporum neq; fortunæ inſidiis obnoxia: admonéntque ne ea miremur, quæ vulgus temerario & cæco mentis impetu amplectitur: néue belluarum more in fœdas corporis voluptates demergamur: ſed excellentiũ virorũ cogitatione conformati, magnos atque excelſos animos in reip. adminiſtratione, & ciuium fortunis conſeruandis geramus &c. Eruditio igitur atque honeſtas cum ipſa corporis fragilitate non intermoriuntur. *Ratiocinationis partes.* Tres ſunt principales partes, quibus interim duæ aut etiam

plures partes, interim vna ſuccedit: ac proinde, pro ipſa partium enumeratione aut tripartita, aut quadripartita, aut quinquepartita dicitur. Oſtendimus in noſtris commentariis, totam Ciceronis orationem pro lege Manilia in perpetuas ratiocinationes eſſe coniectam. Habes ſplendidiſſima exempla in oratione Ciceronis pro Milone. Omnis inſidiator iure occiditur. Clodius eſt inſidiator, Iure igitur occiſus.

Huic non admodum diſſimilis eſt ea argumentatio quam rhetores collectionem vocant: niſi quòd collectio id ipſum, quod proponitur, inferat: ratiocinatio ex propoſitione & aſſumptione certam eliciat concluſionem. Extat illius exemplum apud Ciceronem in rhet. *Collectio.*

DE ENTHYMEMATE.

Enthymema imperfectus eſt ſyllogiſmus: conſtat enim ex maiore, vel minore, & concluſione. Pars prior, antecedens: poſterior conſequens appellatur, id eſt, ipſa complexio quæ cogit tacitam propoſitionem elici. Ex maiore & concluſione eſt eiuſmodi: Qui liber- *Enthymema.* *Enthymematis partes.*

tatem regni affectatione prodit, eum occidi fas eſt. Igitur Spurius Melius iure eſt interfectus. Hic deeſt minor, Sp. Melius regni affectatione libertatem prodidit. Ex minore & concluſione, Sp. Melius populari frumenti largitione regnum affectauit. Iure igitur occiſus fuit. Hic deeſt maior. Rhetores enthymema vocare maluerunt quod ex repugnantibus conficeretur, & proinde fortiorem haberet probationem. Tale eſt, iræ obtemperare dementis eſt. Nihil enim magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Et, quem alienum fidum inuenies, ſi tuis fueris hoſtis? Pro Seſtio, Eius igitur vitam quiſnam ſpoliandam ornamentis eſſe dicet, cuius mortem ornando monimento ſempiterno putaretis? Cui ſi acuta quædam inuentio exaggerandi vel amplificandi criminis cauſa adderetur, ἐπενθύμημα recte vocari exiſtimabant. Mihi illud eloquendi potius ratione, quàm argumentandi forma connecti videtur. Quintilianus optimum enthymema indicat, cũ propoſito contrario, ratio ſubiungitur. Erit autem maioris artis atque conſilij obſeruare, quando antecedens, quando conſequens ſit vel cōcedendum, vel ne-

gandū. Malè cōceſſeris hoc antecedēs, Medicina perniciem naturali valetudini adfert. Rectè igitur ante ſexcenteſimū conditæ vrbis annum non ſunt admiſſi medici. Nec hic conſequens probare poſſis, Iureconſultorum vulgus eloquētiam ſpernit: explodenda igitur ſcholis eloquentia. Vocant autem rhetores ἐνθύμημα, id eſt, commentum & commentationem ſiue cogitationem, quoties ſententia, ſiue propoſitio cum ratione ſubiecta, ad cauſæ probationem adfertur, vt eſt illud Ouidij:

Medici quando primum admiſsi.

Rhetoricũ enthymema.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor,

Sæpe in cauſis eiuſmodi ἐνθυμήματα incidunt multumq́ue gratiæ, ponderis, ac virium ſimplici orationis cultui aſperſa ob idipſum adferunt, quòd non acri ac vehementi ſenſu auditorem exuſcitant, ſed grauis alicuius ſententiæ admonent.

DE INDVCTIONE.

Inductio quam græci ἐπαγωγὴν vocant, inuerſus eſt ſyllogiſmus, ſiue ratiocinatio, quæ ex multis ſingularibus, partibus, vel formis vnam aliquam vniuer-

Inductio

ſalem colligit propoſitionem. Miram hæc adfert rebus obſcuris lucem, & cõſenſionem facillimè meretur, quoties ſine vllo diſſimili exemplo colligitur. Nã & naturæ quendam ordinem ſenſuúmque iudicia ſequitur, & rei ipſius veluti imaginem ſub aſpectum proponit. Ex ſingularibus tale eſt: Romulus regni cõſortem fratrem Remum, Getam Antoninus Pompeiũ Cæſar Antonium Auguſtus ferre non potuit. Nullus igitur regni conſortem perferre poteſt. Ex formis eſt illa, Vſu grammatica, vſu rhetorica, vſu dialectica, vſu muſica, vſu arithmetica diſcitur. Omnes igitur artes liberales exercitatione atque vſu perdiſcuntur. A partibus ad totum ſimillima eſt collectio.

DE EXEMPLO.

Exẽplũ. Exemplum ex ethymemate naſcitur, quemadmodum & ſimilitudo cognata eſt enthymemati: numeratúrque inter argumentorum locos, & argumentandi formas, Vt Apelles ob ſolam ſtudij ſimilitudinem Protogeno pictorem collapſam dignationem reſtituit. mutua igitur animorum conſenſio & voluntas in-

ter eos conſtare debet, quos ſtudiorum ſimilitudo coniunxit.

DE COMPLEXIONE.

Complexio, Gręci διλήμματον vocant, eſt cùm rem vnam in duo oppoſita diuidimus, & vtrumque deinde vel affirmamus, vel negamus, vt vxor ducenda, vel pulchra, vel deformis. Pulchra ad procreandam ſobolem. Deformis ad exercendam mariti continentiam. Qui vtrũque negare velit, dicet. Pulchram nobis cum cæteris communem, deformem faſtidio fore. Vſus ea in hunc modum Cicero in oratione pro Sylla: Hic tibi ego de teſtimoniis meis hoc reſpondeo. Si falſum dixerim, te in eos dixiſſe: ſin verum, non eſſe hoc regnare: cum verum iuratos dicas probare. Terẽtius in Phormione: Ego nullo poſſum remedio me euoluere ex his turbis, quin ſi hoc celetur in metu, ſi patefit in probro ſiem. Ouidius in epiſtola Acontij ad Cidippen: *Complexio.*

Promittes votum? ſcit te promittere falſò.

Iurabis? ſcit te fallere poſſe deos.

Vſum huius creberrimum eſſe in refu-

tandis teſtimoniis, indicat præter alias illa Ciceronis oratio pro L. Valerio Flacco. Extat & talis apud Paulum in l. Iulianus. ff. de condict. indeb.

DE ENVMERATIONE.

Enumeratio.

Enumeratio eſt, in qua pluribus expoſitis, cæteris deinde remotis, reliqua neceſſariò confirmantur, vt eſt illa Ciceronis pro C. Rabirio: Atqui videmus hæc in rerum natura tria fuiſſe, vt aut cum Saturnio eſſet, aut cum bonis, aut lateret. latere mortis erat inſtar turpiſſimæ: cum Saturnio eſſe, furoris & ſceleris: virtus & honeſtas, & pudor cum cõſulibus eſſe cogebat. Hoc tu igitur in crimẽ vocas, quòd cum iis fuerit C. Rabirius, quos amentiſſimus fuiſſet ſi oppugnaſſet: turpiſſimus ſi reliquiſſet? Talis eſt & apud Ariſtotelem ad hunc ferè modum: Cognoſcens aut mens eſt, aut dianœa, aut opinio, aut phantaſia. Sed neque mens eſt, neque opinio, neque phantaſia: reſtat igitur vt ſit dianœa. Quintilianus libro quinto, vocat argumentorum genus ex remotione, hoc exemplo vſus: Hic ſeruus, quem tibi vẽdicas, aut verna tuus eſt, aut emptus, aut

donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus. Deinde remotis prioribus, ſupererit alienus. Huius enumerationis vis ea eſt, vt collatis omnibus partibus aduerſarij actionem cum verecundia premat: & contrà, ſi vnum quodlibet fuerit omiſſum, rem vniuerſam cum riſu diſſoluat. Accedunt autem vel fidei, vel exornationis cauſa ſingulis partibus ſuæ probationes: qualis eſt illa Ciceronis omnibus circunſtantiis mirabiliter amplificata in oratione pro L. Valerio Flacco, qua Græcorum deſtruit criminationes, in oratiõe item pro Sext. Roſcio Amerino.

DE SORITE.

Habet nonnullam cum enumeratione ſimilitudinem, ac cognationem ea quam σωρείτην Græci. Cicero aceruалem vocat ſyllogiſmum. Eſt enim quidam vocum aceruus ad formam κλίμακος figuræ, quo aliquid gradatim aut additur, aut demitur. Ei⁹ author fertur Chryſippus Stoicus, Cice. eo vſus ad hunc ferè modum eſt in oratione pro P. Valerio Flacco: Si pecunia Flacco perſcripta ſit, dedit eam prætor. Prætor ſi dedit à quæ-

Aceruális ſyllogiſmus Sorites.

Chryſippus Stoicus.

ſtore numerauit: quæſtor à mēſa publica mēſa aut ex vectigali aut ex tributo. Hęc niſi explicentur, cōſentaneū erit pecuniā Flacco non eſſe numeratam. Ex cauſis & effectibus ſic contexitur, Iuriſprudentia eſt neceſſaria ad Reipub. adminiſtrationem. Reipub. adminiſtratio ciuilis vitæ retinet communitatem. Vitæ communitas officiorum tuetur religionem. Officiorum religio in concordia ciuitatem retinet, ergo iuriſprudentia ciuium tranquillitatem conſeruat. Commendatur in iis præcipuè Sorites, quæ neceſſariò cohærent. Natura enim argumentationum non patitur, vt quæ diſſimilia ſint inter ſe connectantur.

Argumentationis natura.

DE ARGVMENTATIONE PER SVBIECTIONEM.

Argumētatio per ſubiectionem.

Pleniſſimus iudicij fructus eſt, quam res omnes inter ſe habeant cognationē, animo peruidere. Paratur enim hinc cū ſtudiorum, quibus immenſus alioqui labor vix erat ſuffecturus, mira fœlicitas: tum conſtans quædam ac certa rerum pulcherrimarū cognitio. Suprà oſtendi-

mus argumentationem & ratiocinationem ſiue ſyllogiſmum ſola concluſionis forma differre: inductionem nihil aliud niſi inuerſum, enthymema verò imperfectum eſſe ſyllogiſmum. Enthymemati cognatum exemplum (nam complexio proprium quiddam habere videtur). Hic admonenda iuuentus magnam eſſe naturæ ſimilitudinem enumerationi cum ſubiectione: niſi quòd illa ex omnibus ſuis partibus collecta, neceſſariam efficit concluſionem: hæc autem ipſa interrogatione ea ſolum, quæ ad rem pertinent, remouet, nullam certam concluſionis vim inferens. Vtitur ea frequentius Cicero in aduerſariorum hypophoris diluendis, vt pro Publ. Sylla: Cur dixiſti teſtimonium in alios? quia coact⁹. Cur damnati ſunt? quia creditum eſt. & pro M. Fonteio: Quid vt ſecuti eſſe videamini? voluntatémne hominum? grauior igitur vobis erit hoſtium voluntas, quàm ciuium. an dignitatem teſtium? poteſtis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domeſticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religioſis & cæt. anteferre? Talis quoque eſt & in oratione pro Sexto Roſcio Amerino. Ex-

Enumeratio quid a ſubiectione differat.

hæredare & cætera. In Piſonem: Da te populo, committe ludis, ſibilum metuis? vbi ſunt veſtræ ſcholæ &c.

DE VIOLATIONE.

Violatio eſt argumentatio in qua ex aduerſariorũ ratione non id quod ipſi volũt, ſed quod nobis vtile eſt ſequi demõſtramus.

Argumentatio per violationem, Græcis τὸ βίαιον dicitur, qua aduerſarij rationem diuerſa planè ſententia deſtruim*. Vt ſi dicas: Leges non ſunt perdiſcendę, quòd eloquentiam corrumpant, immò ob id maximè ſunt perdiſcendæ, quòd ex vbere illa ac profluenti legum cognitione eloquentia confirmetur. Vſus ea Cicero ad refutandam Quinti Catuli ſententiam in oratione pro lege Manilia. Habes præclarum exemplum apud Aulum Gellium lib. vndecimo, cap. decimoquarto. Et pro Publio Sylla, Regum eſt dicere in quem velis, ac defendere quem velis: imò ſeruitus eſt, non dicere in quem velis, ac non defendere quem velis. Extant pulcherrima Cratetis Cynicj, & Metrodori epigrammata de humanæ vitæ commodis, & malis in hanc violationem coniecta, quæ aſcribere huc nolui, quòd apud Eraſmum quoque in prouerbio, Optimum nõ naſci, aut quàm ocyſſime aboleri, commẽ-

morentur. Habet aliquam cum hac cognationem captioſa illa, & reciproca argumẽtatio à Græcis ἀντίστρεφον appellata, cuius exemplum refert Aulus Gellius cap. 10. lib. 5.

DE CONFVTATIONE.

Contentionis nomine Cicero & confirmationem & confutationem comprehendit: nec eſt in vtraque argumentorum ac elocutionis diuerſa ratio, niſi quòd confutatio plures in defendendo, transferendo, atque excuſando crimine habet flexus, & affectus aliquanto mitiores. Quod in cauſa fuiſſe Quintilianus putat, vt accuſationibus mediocres in dicendo ſuffecerint: defenſor bonus nemo, niſi qui eloquentiſſimus fuerit. Principio igitur videndum, poſſit ne quod obiicitur, aut negari, aut alio appellari nomine, aut iure defendi, aut trãſferri. Nam deprecationem apud iudices ſecundum leges ſententiæ dictionem habituros, periculoſam eſſe diximus. Inficiatio tutiſſima ſemper fuerit, quemadmodum periculoſiſſima confeſſio. Hæc ſi non detur, proximum erit à definitione præſidium quærere. Quę negari, aut

Confutatio.

Inficiatio tutiſſima confeßio periculoſißima.

alio definiri nomine non poſſunt, iure defendenda aut transferenda erunt, hoc eſt, vel in ætatis aut temporis, aut quanuis aliam cauſam regerenda: exemplo Ciceronis qui proſtitutam Cælij iuuentutem, atque omnibus libidinibus affluentem partim temporis, partim adoleſcentiæ, cuius erumpentes voluptates faciliorem veniam merentur, fuiſſe dicit: aut in ſimilem aliquam aduerſarij reprehenſionem remouenda. Eiuſmodi ſunt quinque illæ criminationes, ſiue ἀντικατηγορίαι apud Cicer. pro Q. Ligario aduerſus Tuberones. Eſt autem ἀντικατηγορία mutua recriminatio, cuius exemplum habes apud Papinianum lib. pandectarum 24. l. viro atque vxore. tit. ſoluto matrimo. HIS OMNIBVS ſuccedunt duæ illæ non tam firmæ, quã interim neceſſariæ rationes. Criminis, quod apertius ſit quàm vt negari, & turpius quàm defendi poſſit, eleuandi: & ab eo, cuius non facilis ſit defenſio, in locum aliquem communem transferendi. Vſus iis Cicero pro Roſcio atq; Deiotaro. Deliberandum etiam cum ipſa cauſæ vtilitate, ſimúlne cuncta inuadere, an ſingula amoliri vtilius ſit. Nam quemadmodum in ſubita trepidatione,

Criminis eleuatio & transilatio.

effuſa illa militum eruptio victoriæ ſæpe fuit, ita ipſa turba nonnunquam obruimur, quæ tamen ſingula difficilius fuerat reſoluere. Quæ palam falſa, aliena contraria, aut ſtulta erunt, vel ideo nullius eſt artis refellere, quòd ab aduerſario non probentur. Non enim pſephiſmata teſtium eſſe, ſed fremitus quoſdam furioſos egentium, calumniatorum, & temerarios motus aſſeuerabimus. Erunt autem honeſtiora veſtibula, illuſtrioréſque ad cauſæ commendationem aditus, ſi prima aggreſſione firmum aliquod argumentum ac vehemens occupemus, cætera facilè infirmaturi. Cuius rei vnum aliquod præceptum dari non poteſt, varia enim & artificioſa tractatione iudicis animus erit ſubeundus. Quædam proponenda, allata quare id ita ſit ratione: quædam diſſimulanter reliquenda, ne iactata, ſuſpiciones excitent: qua in re plurimum valet ἀποδίωξις. Occulenda interim argumentorum puncta, ne vel ſuperſtitioſius obſeruari, vel numero excipi poſſint, ita tamen vt re diſtincta, verbis confuſa eſſe videantur. Omninóque agendum, ne vel artem iudex intelligat, vel rerum perturbetur

Coniectura, finitio, qualitas.

confuſione. Reliqua ſuos habent locos communes. Nam aut coniectura, aut finitione, aut qualitate excutiuntur. Teſtimonia, pręiudicia, & exempla ſi controuerſa ſint, nugatoria: ſi vera, diſſimilia eſſe affirmabim⁹: quę dura ſunt, molliemus, eritque artis inuenire in aduerſarij actione, quę inter ſe repugnăt. Pugantia eſſe Cicero oſtendit, venenũ Clodię eſſe à Cęlio paratũ, quod odij argumẽtum erat: & ſtupri cõmercium inter eos interceſſiſſe, pecuniámque mutuum datam, quod amoris erat indicium. Idẽ L. Valerium Flaccum repetundarum reum, teſtium criminationibus excipit, per locum repugnantium. Non eſt, inquit, veriſimile Decianum à Flacco eſſe corruptum, vel quod ait Luceius L. Flaccum ſibi dare cœpiſſe, vt fide ſe abduceret, ſeſtertium vices. Et eum tu accuſas auaritię, quem dicis ſeſtertium vicies voluiſſe perdere? Torquato quoque actori abſurditatem vitiúmque oratoris criminoſe obiicit, tanquam ſecum pugnanti. Nihil eſt, inquit, tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuſet, quàm videri cõiuratorum pœnam mortémque lugere. SED FIDEI quoq; conducit de cauſa optimè ſentire, quę

res

res quantum patrocinij habeat, vel ex Ciceronis orationibus cognoſci poteſt: Neque difficilis eſſe poteſt refutatio ei, qui cauſæ circũſtantias, & quibus argumentis aduerſarius nitatur, animo teneat: obſeruabitúrque hic ordo, vt acturi noſtra primum confirmemus, quod & natura præſcribit: ac tum, quæ noſtris obſtant refellamus. Defenſuri contradictiones ante probationem noſtrã refutemus. Vides hũc modum peculiarem fuiſſe Ciceroni. cuius exemplum vbique ſibi proponet iuuentus. Sed hunc locum vniuerſum nemo rectè conſequetur, niſi qui ea, quæ iureconſulti de exceptionib' & replicationibus tradũt, ad cognitionem vſúmque referat. *Aduerſarij argument.a animo tenenda.*

His omnibus ſuccedit altercatio, quæ Græcis διαδικασία appellatur (ſiquidem iudicium tanquam ſanguis in corpore humano circa omnes orationis partes verſatur). Ea non rarò patroni fidem commendat, & pleríſque in cauſis ad victoriam nõ parum affert momenti. Explicatur autem partim natura, partim præceptis. Nã in eleuandis aut contemnẽdis ijs, quæ è contrario dicũtur, opus eſt celeri naturæ motu, ingenio mobili, & animo multo rerum vſu ſubacto. *διαδικασία.*

Et artis eſt, cauſæ quæſtionẽ non familiariter modò didiciſſe, verumetiam perſonarum, tẽporum, locorum, ſignorũ, inſtrumẽtorúmque pleniſſimã habere cognitionẽ. PRÆCIPVE autẽ patrocinij fides cõmendatur animi modeſtia: quare videndũ ne bonus orator affectibus depulſus, in rixam atque iracũdiam labatur. Nã eſt res præduri oris, & frontis perfrictæ, & improbæ propemodum, quod probationũ fide obtineri debeat, ingenti clamore confundere atque perturbare! NEC ALIVD eſt æquè turbulentum, æque conciſum, ac concitatioribus denique affectibus laceratũ, atque mens ira percita. Fertur enim extra rationem, nec minorem cauſæ quàm & amicitiæ, cuius cõmunitate omnia humani officij genera conſeruantur, perniciem adfert. QVID ENIM tum inſigne, tum ſtabile ad memoriæ diuturnitatẽ, quàm animus ex iniuria & oppreſſione ægrotans? cum ipſa etiam beneficia vſu excidant, & obliuione intermoriantur: cõtumeliæ verò ac conuitij dolor ſemel animo inuſtus vix vnquam cũ ipſa vita obliteratur. Traducenda igitur & conuertenda altercatio ad aliquam moderationem, vt eius aſperitas dicen

præcipua patrocinij fides.

Damna affectæ mentis.

Sentẽtia.

tis humanitate, remiſſio verò grauitate condiatur: vt quæ proſint,in iis immoremur, in iis mentem orationémque defigamus, ibi habitemus, ibi hæreamus: referamúſque ab iis, quæ offendunt, celerrimè pedem: vana etiam ſpe aduerſarium iactatum, in errorem & fraudem abducamus. Quæ vehemẽtius premunt, ſic erunt permittenda, vt nihil de victoria conceſſiſſe videamur.

DE PERORATIONE.

Peroratio poſtremum vincendi præſidium habet,vt iudex in conſiliũ iturus non ratione ſolum aut iudicio, ſed impetu etiam animi inflammatus in cauſæ noſtræ commẽdationem totus propendeat. Eius vis eſt in rerum enumeratione, quàm ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant, & affectibus. Enumeratio rerum perſonárúmque argumenta per totam orationem ſparſa atque diffuſa vnum in cumulum cogit, & veluti ſub iudicis aſpectum ſubiicit, vt quæ ſingula minus mouerint, turba valeant. Hæc breuis & conciſa eſſe debet, & variis cum ſententiis,tum figuris illuſtrata:nec ſenſu ſolum ac dicendi ratione expolita,

Peroratio.

Peroratio qualis eſſe debeat.

ſed leni quadam actione, ſignificãdíque facilitate in hoc adhibita, vt languẽtem iudicis animum ipſa admonitione exci-tet, & memoriam reficiat rerum repeti-tione. Cadendum enim formula, & cala-mitoſiſſimi hominis ſors miſera ſubeũ-da reo, niſi hac in parte, quæ ſola ſu-pereſt, iudicis animum atque ſenſus ab omni alia cogitatione curáque auerſos, in cauſæ noſtræ commendationem ac fauorem traducamus. Quæ autem fa-uorem, inuidiam, miſericordiam & o-dium concilient, ex cauſarum perſona-rúmque adiunctis ſunt eruenda. Nam & re' dignitate animi, honeſtiſſimis ſtu-diis, officiis in vſum publicum collatis, fide, diligentia, gratia, atque exiſtima-tione nominis commendatur: interim etiam futuræ vtilitatis exurgentíſque virtutis ſpes faciliorem præbet veniam. Cicero M. Fõteium cùm propter gene-ris claritatem, tum propter eius innocẽ-tiam, & ſummam in re militari virtutẽ ac felicitatem, qua Reſpublica magno-pere egere, permultis videlicet bellorum ducibus amiſſis, videbatur, ſuis redden-dum eſſe amicis contendit. Et aduerſa-rij actio in odium & inuidiæ motus tra-henda erit, vt atrox, cupida, illiberalis,

Traducere ſtudiũ animos ab omni alia cogitatione atque cura, ad cauſæ noſtræ fauorem.

iniuſta ac impia denique videatur. MISERICORDIAM cũ graues humanarum miſeriarum caſus, tum afflicta atque ſuperbè proſtrata innocentia mouere ſolet. Eius loci præcipuè ſunt, ſuſcepta pro Reip. libertate pericula, lachrymæ, ſexus, ætas, parentũ liberorúmque ſolitudo, locus, tẽpus, conditio: quæ ipſa veluti futuræ vitæ imagine in varios affectus iudicem rapiunt. *Quæ miſericordiã excitent.*

Creſcunt hęc atque incitantur amplificationibus, & fictis perſonarum orationibus, quibus ſummus ille orator M. Tullius tãtam concitaſſe videtur & cõmiſerationẽ & indignationem, quãtam nulla mens humana cõcipere poſſit. Extant paſſim illius exempla. Rectè autẽ præcipitur, vt primùm ipſi eos animorũ affectus nobis induamus, quos iudici ſimus adhibituri: hoc eſt, vt iudicis mentẽ omni affectuum inflammatione, ac veluti facibus incẽſuri, prius ipſi ardeam⁹, ardentíſque animi atque doloris ſigna verbis, ſentẽtiis, vultu, pronunciatione, deorũ hominúmque imploratione, denique collachrymatione demus: quod partim ex ipſius orationis, quæ mouẽdis affectibus accommodatur, vi ac natura cõſequemur: partim etiã ipſa illa ſolici- *Quid in mouendis affectib⁹ obſeruãdum.*

tudine, officio, diligentia, fide ac pietate obtinebim⁹. Quæ omnia optimus quiſque & de nominis ſui exiſtimatione, in tanto hominũ cõcurſu, & grauiſſimis amicorum periculis maximè anxius ſibi imponere debet. Deinde vt animo & cogitatione ad ea nos conuertamus, quib⁹ iudex ad cauſę cõciliationem vel rei offenſionem permouetur: qui ſi integer ſit ac quietus, cõmouendus: ſi ſua ipſe ſpõte permotionem animi oſtẽdat, incitandus erit. Poſtremò ne incenſos illos affectus frigeſcere patiamur: aut longum alienis in malis mœrorẽ ſperemus, quãdo lachrymæ, vt ait Apollonius Rhodius, citiſſimè inareſcant.

Apollonius Rhodius.

In affectibus eloquentiæ vis continetur.

Sunt autem affectus duplices, τὰ πάθη, καὶ τὰ ἤθη. in his operis huius ſpiritus, ac veluti anima conſiſtit, quando priora illa mediocris oratoris videri poſſunt: hæc non niſi magnis ingeniis ac maiore quodã numine afflatis contingunt, πάθος vehemens, concitatus, incẽſus & tragicus eſt affectus: aptus non tãtum ad animorum perturbationem, iram, odium, inuidiam, miſerationem, iniurias exaggerandas, ſed aliquanto magis ad eripiendas cauſas, conuertendum iudicem, aduerſarios de ſtatu omni deiiciendos.

quo Cicero in propugnatione familia-ris rei vſus in ſtuporem & ſilentium ad-egit Hortenſium: Catilinam audacia & ſcelere furentem ex vrbe depulit: Leges agrarias magnis populi motibus iacta-tas cōuellit: ſupplicationes in toga me-ruit: totum ferè forum lamentatione & plangore compleuit: Cæſarem ab indi-gnationis vehemētia & deſtinata Quin. Ligarij oppreſſione flexū animo atque fractum, in manſuetudinem miſericor-diámque conuertit. FORMÆ eius multæ ſunt apud Macrobium Saturna-liorum lib. 4. ἦθος moderatior eſt affe-ctus, in quadam commendatione atque excuſatione poſitus, ac proinde accom-modatus comœdiis, in quibus humi-lium perſonarum ſtudia, voluntates, a-mores, auaritiam, conditionem & ple-raque alia deſcribimus. Vtriuſque ratio naturalis eſt, & obuia ei, qui cauſæ per-ſonarúmque circunſtantias animo bene conceperit, aut non planè inertiſſimæ ſit mentis. Ariſtoteles ſanè, Cicero, & Quintilianus mirabiliter multa de iis ſcripſerunt. Eleganter Antonius apud Ciceronem in libris oratoriis explicat, quibus artibus C. Norbanū, nefario cri-mine & capitali fraude depreſſum, con-

Incredi-bilis Cice-ronis vis in com-mouēdis affectib⁹.

Quæ in comœdia deſcribā-tur.

Qui de affectib⁹ ſcripſe-riut.

tra ſummam Sulpitij & eloquentiam & gratiam, affectis magis iudicum animis, quam doctis defenderit. Quintilianus libro.6.eum in affectibus mouendis potentiſſimũ fore exiſtimat, qui φαντασίας & abſentium rerum imagines, alta quadam mentis ſolicitudine conceperit. Efficit enim hæc commentatio, vt cum plurimis, tum veriſſimis permoueamur affectibus. Nam & Cicero, vt cæteris mouendis affectibus egregiè antecellere videretur, non ingenio, ſed dolore ſe aſſecutum fatetur. Flacceſſit enim oratio cùm animi ardor ſubſidet.

Sed non ſemper triſtibus eiuſmodi affectibus iudicis animum ab intentione deflectimus: interdum etiam iucundo riſu, verborum vrbanitate, orationíſque hilaritate graues rerum caſus diſſoluimus: & quæ contentione infringi non poſſunt, faceto eleuamus lepore. Nam vt Cicero Quin. Ligarij, & L. Murenæ præter cæteros defenſionem vehemẽti affectuũ permotione inſecutus, pleríſque videtur: ita & ioci oportunitate Minutium quendam, referente Plutarcho, & L. Flaccum iudicum manibus eripuit. Sunt enim ſuaues & vehemen-

ter vtiles facetiæ: quæ licet naturæ magis, & obſeruationis cuiuſdam quam artis eſſe videãtur, iiſdem tamẽ ex locis, quibus ſuperiora illa, ducuntur. Nam & inuentionem habent cum apta diſpoſitione, & elocutionem variis cum figuris, cum verbis illuminatam. Pronuntiatione certè & vultu pleniſſimam merentur & gratiam & admirationem. Oriuntur autem aut ex corpore eius, in quem dictum ridiculúmque iacimus: aut animo, qui facto dictíſque colligitur: aut quæ extrinſecus adferuntur. Intra hæc enim omnis acuta reprehenſio, omnes facetiæ conſiſtunt. Quæ ſi ioci cauſa tantum, & ſine vllis contumeliarum aculeis aſſumãtur, leues ſunt, & vel expoſitione, vel dicto aliquo notantur. Cuiuſmodi ſunt, fuga illa Fãbritij apud Cic. pro Cluentio. &, Neronianum illud de ſeruo furace, cui nihil erat domi obſignatum. Item illud iuuenum Tarentinorũ ad Pyrrhũ regẽ. Niſi lagena nos defeciſſet, occidiſſemus te. At cùm acrẽ habent reprehenſionem, & vehementẽ corporis animíſque inſectationẽ, graues dicũtur. Tale eſt dictũ illud Domitij Afri aduerſus Lõgũ Sulpitiũ fœdiſſimũ hominẽ: Qui malá faciẽ habet, liber nõ *Facetiæ.*

eſt. Cicero propugnaturus L. Valerij Flacci ſalutem,cum aduerſarius Doriléſis cuiuſdam mortem repentinã in perniciem Valerij Flacci conuerteret,eúmque homicidij ſcelere alligaret: grauem criminationẽ faceto ſcommate diſſoluit, cædis inuidia in accuſatorem tranſlata. Homini enim Phrygi, inquit, qui arborem fici nunquam vidiſſet,fiſcinam ficorũ obiecisti: cuius mors te ex aliqua parte releuauit. Edacem enim hoſpitẽ amiſiſti. Simili ioco in eadem oratione oſtendit falſum eſſe quod aduerſarius dixerat Falcidio cuidam, vt ſuo teſtimonio Flacci dignitatem cõuelleret, denunciatũ nõ eſſe.Tu certè,inquit, coëgiſſes,ſi vllum firmamentũ in illo teſte poſuiſſes, ſed hominẽ ab negotio abducere noluiſti. Magnum erat ei certamen propoſitũ, magna cũ græcis contentio, qui tamen vt opinor iacẽt victi. Nã iſte vnus totam Aſiam magnitudine poculorum bibendóque ſuperauit. Valde vrbanus & venuſtus ille, ſed tamen cum acri inſectatione coniunctus eſt in P. Clodium iocus. Homo, inquit, facetus inducis etiam ſermonem vrbanũ & venuſtum:me dicere ſolere, eſſe me Iouẽ: eundem dictitare Mineruam eſſe ſororẽ

Vrbaniſſimè in P. Clodiũ iocus.

meã. Non tam inſolens ſum, qui Iouem eſſe me dicam: non tam ineruditus, qui Mineruã Iouis ſororem, meam eſſe ſororem exiſtimem: ſed tamen ego mihi ſororem virginem aſciſco, tu ſororem tuam virginem eſſe nõ ſiuiſti. Sed vide, ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eandem ſororem & vxorẽ appellare poſſis. Quando autem iocus omnis in turpiculis ac deformib⁹ ferè ponitur, habenda ratio perſonæ, rei loci, ac tẽporis vt ita dicacitatis moderatione noſtrã tueamur exiſtimationem, ne cæco quodam & celeri facetiarum ſtudio, aut mimorum ethologorum imitatione decepti, in ſcurrilem dilabamur dicacitatem. Parcendum ante omnia & amicitijs & dignitatibus, vitãdæque inſanabiles cõtumeliæ & in noſtrã perniciẽ redundaturæ: tantum ridiculi aculeo figendus ac veluti pungendus aduerſarius, nec tamẽ omnis, nec ſemper: ne animi ex inuidia laborantis & ipſa maleuolentia, ieiuni documentũ præbeamus. Nã ſicut in teſtem ſtultum, cupidũ, leuem & improbũ multa iacere dicta oratoris eſt nõ mali, & reſpõdentis magis quam laceſſentis: ita inhumanæ eſt inſectationis, inſignẽ aut improbitatẽ, aut miſeriã riſu ĩceſſe-

Iocus in turpiculis fere verſatur.

re:cum nihil ſit ęquè naturale atque humanis caſibus in tam incerta ac miſera hominum ſorte ingemiſcere.

Vrbanū. Quare diuerſa etiam eorum quæ riſum mouent eſt appellatio. Nam quod in ciuili ſermone poſitum eſt, vrbanum vocamus: quo Cicero aduerſus Decianum ſordidum hominem,& teſtem inimicum L. Valerio Flacco vſus. Longo, inquit,interuallo,ſi quando tibi peregrinari commodum eſt,Romam venis,adfers faciē nouã,nomen vetus,purpuram Tyriã,in qua tibi iuuideo,quòd vnis ve-

Venuſtū. ſtimētis tam diu lautus es. Venuſtū verò id eſt,quod cū Venere ac lepore dicitur.

Salſum. Salſum,ſimplex quoddam ac ridiculum

Facetū. ſermonis eſt gen9.Facetū, plus habet & riſus & excultæ elegãtiæ. In hoc genere Plautus & pleríq; Attici comici, Socraticíq; præcipuè ſunt verſati,& à Catone ſene collecta etiam ἀποφθέγματα. Maxima enim rerum momenta diſſoluit illa celeritas ac breuitas cum laceſſendi, tū reſpondendi, faceta quadam ac ſubtili

Dicacitas. venuſtate coniuncta. Dicacitas acrem quandam habet reprehenſionem. Ma-

Quæ ioci materiã præbeãt. gnam ioci materiam præbent ἀμφιβολία, ἀπροσδόκητον, παρονομασία, ἐτυμολογία, παροιμία, ἀπόλογοι, μεταφοραὶ,

ἀφρνείαι, verſus item ac ſimilitudines. Quorum omnium ſelecta exempla habes apud Ciceronem libro de Oratore tertio, multa apud Quintilianum libro ſexto, plurima apud Eraſmum in libro Apophthegmatῶn. Mihi ſanè animum ad rectam illam ac veram ciuilis vitæ rationem referenti, illiberalis videtur immodica illa captandi riſus affectatio, & indigna homine politico, qui reipublicæ bene gerēdæ ſit præpoſitus. Quare his orator ita vtetur, vt quàm minimum decerpatur & grauitatis & dignitatis, atque omnino, vt vitet illiberale, petulans, flagitioſum, & obſcœnum iocandi genus.

DE DISPOSITIONE.

Nulla partium orationis pleniorem ingenij laudem, nullam certiorem victoriæ ſpem, nulla denique plus lucis, atque admirationis parit, ipſa illa recta & multo animi iudicio pertractata rerū locorúmque collocatione, quam Græci οἰκονομίαν, Latini diſpoſitionem vocant. Nam cùm maxima ſit omnibus in reb9 collocationis vis, tum illud vel præcipuum prudentiæ eſt munus, ordinem

Diſpoſitio.

Omnib9 in rebus collocationis vis maxima.

quem ipſa cauſarum natura præſcribit, diligenter & cum decoro obſeruaſſe. Diffunditur enim ſuis quaſi partibus conciſa, prorſúſque perit exuperans illa rerum copia, niſi apta diſpoſitióe deuinciatur. Et quemadmodum magna ſæpe rerum diſcrimina, in ſumma deſperatione, ceu quodam malorum diluuio, ſolo exercitus benè conſtituti ordine depulſa eſſe vel vna Tarentina clades docet: & contrà turbatas inuicem copias exitio ſibi fuiſſe ſatis conſtat: ita orationis compoſitio, niſi apta contexatur diſpoſitione, ſine ratione fluitat, dicentíſque impetum potius quam cõſilium ſequitur. Rectum quoque Plinij iudicium fuiſſe conſtans grauiſſimorũ hominum conſenſio affirmat, qui barbaros homines inuenire quædam vel magnificè, vel mirabiliter putabat, atque pronunciare aptè: diſponere verò atque eloqui, proprium eruditi ingenij eſſe & longo humanarum artium vſu exercitati contendit. Sed in tanta litium varietate ac infinitis controuerſiarum formis, non facilè eſt vnam certam aliquam diſponendi viam tradere. Cogimúrque inuentionem, iudicium, conſiliúmque ex præſenti rerum conditione petere, naturæ ordinem ſecuti: ideóque

pauca quædam eius monita explicanda, quæ tamen ipſa cauſæ cedent vilitati. Nam & Cicero vtiliter pro Milone & Sylla obiectas criminationes, ante cauſæ expoſitionem ac confirmationem refutauit, in diſponendíſque argumentis non artem, ſed cauſæ vtilitatem ſecutus paſſim videtur. EST AVTEM DISPOSITIO apta partium orationis argumentorúmque diſtributio, cuius ratio eſt duplex. Alterā enim cauſarum nobis natura præſcribit, alteram oratoris comparat iudicium. Prior leuis prorſus ac puerilis eſt, vt primo loco auditorum beneuolentiam, attentionem & docilitatem captemus: initio fauorabilem quandam ſententiam, quæ Græcis πρότασις vocatur, ad cauſæ officiíque noſtri ponamus commendationem, cum eius ratione ſubiecta, quæ αἰτία ſiue κατασκευὴ appellatur. Atque huic ſubiiciatur ἀπόδοσις prioris ſenſus redditio, & quædam veluti enthymemátis cōcluſio. Deinde prolepticῶs aduerſatiuas hypophoras occupemus, aut breui amplificatione cauſæ noſtræ cum magnitudinem, tum honeſtatem expoliamus. Poſtremò ἀξίωσιν id eſt, petitionē ſiue exordij clauſulā inferamꝰ. Hunc enim ordinem & Demoſtheni & Cice-

Diſpoſitio quid & quotuplex.

roni video fuiſſe familiarem. Secundo loco, rem de qua dimicatio eſt exponamus, èxpoſitam noſtris confirmemus præſidiis, deſtruamúſque refutando cõtraria. Poſtremò peroremus. Atque hũc naturæ ordinem ſuprà oſtendimus.

Cic. 2. de Orat. In reliquis ſcriptis diuerſa eſt ordinis ratio. Nam in hiſtoria, quam veritatis lucem, ac memorię vitam Cicero appellat, naturalem ſequimur ordinem, qui temporis ratione rectè obſeruata in primis commendatur. Eſt enim perpetua quædam narratio crebris digreſſionibus in cauſſæ rerúmque euentum, in locorum ac hominum deſcriptiones amplificata.

Diſpoſitio hiſtoriæ. Poëtæ in rerum geſtarum expoſitione ſtudio ſibi habent, vt primo loco hiſtoriæ imaginem quandam propoſitione exprimant, vt Arma virúmque cano. Propoſitioni deinde deorũ inuocationem ſubiiciant, qualis eſt, Muſa mihi cauſas memora, &c. Ac tum demũ narrent, vt Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago. Homerus in vtroque ſuo opere inuocationem & propoſitionem coniunxit,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Lucie-

Lucretius item poëſin ſuam de rerum natura exorſus eſt ab inuocatione deæ Veneris. Lucanus mutato ordine, ſecundum propoſitionem & narrationem inuocauit: Nec ſi te, inquit, pectore vates Accipiam, &c. Cæterum rerum ordinem non à primordiis vrbis conditæ, vt hiſtoriographi, ſed mediis ſæpe rebus incipientes perturbant, vt periculi magnitudine, & multiplici rerum varietate, ancipitíque euentu omnia reddant auguſtiora.

Comici ſua δράματα in πρόλογον, πρότασιν, ἐπίτασιν, καὶ καταστροφὴν diſtribuunt. Prologo fabula commendatur, aut excuſatur poëta. Terentio πρόλογος συστατικὸς καὶ ἀναφορικὸς, id eſt commendatitius & relatiuus, ad regerenda in aduerſariũ maledicta: Plauto ὑποθετικὸς, fabulæ argumentum exponens eſt familiarior. πρότασις fabulæ habet occaſionem & argumẽtum, quo populi expectatio cõcitatur: ſenum item conſilia, & graues pro tempore ſententias, cõſiliorum inopinatos euentus, vehementes querelas & affectus, ſeruorum perfidiam, amores adoleſcentium, mulieroularum lenocinia, in ſumma imaginem quandam ac imitationem vitæ cõſuetũdiníſque hu-

Occonomia Comœdiarũ

πρότασις

Ἐπίτα-σις manæ. Ἐπίτασις totius erroris importunitatem turbarúmque habet proceſſus, magna cum perſonarum omnium perturbatione, eòque τὴν τοῦ δράματος ςάσιν oſtendit. *καταςροφή.* καταςροφὴ inſperatam rerum ad iucundos exitus conuerſionem habet, cuius hæc ferè œconomia eſt, nullo vt humano conſilio, ſed inopinato, temerario, ac propè ridiculo euentu graues ſæpe turbæ ſedentur.

Tragediarũ ordo. Contrarius omnino huic tragœdiarum eſt ordo, de quo pleraque multa extant apud Aelium Donatum.

Quã diſpoſitionẽ dialogi habeant. Dialogorum liberior eſt ordo, & rerum perſonarúmque qualitati accommodatus. Præcipuè tamen occaſiõnis conſiliorúmque opportunitate commendatur. Mirus eorũ eſt artifex inter Græcos Lucianus, inter Latinos Eraſmus Rot.

Ordo a medicis obſeruatus. Medicinæ artium ſcriptores cõtrarias diſſentientium ſententias primum refellunt, quem ordinem vbique ferè ſectatur Ariſtotelés in phyſicis, & Galenus ſecundum Hippócratem medicorũ princeps. Et quia triplicem faciunt artis diuiſionem, ac primam in μεθοδικὴν, ἐμπειρικὴν, καὶ θεωρικὴν: Alteram in φαρ-

μαχευτικὴν, διαιτικὴν, καὶ χειρουργικὴν ab Hippocrate prius cultam: Tertiam in ὑγιεινὸν καὶ θεραπευτικὸν ſecãt: non vnum omnes ordinem ſequuntur circa diuerſas artium partes laborantes. Frequenter tamen corporis ſectiones hominúmque habitus proponunt, extátque pulcherrimus Galeni liber περὶ τῶν ὑγιεινῶν. Ab homœomeris deinde ac anomœomeris tranſitum ad morborum cauſas, ſymptomata, & remedia faciunt. Plinius naturalem hiſtoriam à cælo exorſus, ad terræ partes & regiones, poſtea etiam ad animantia & inanima orationem deflexit. Non obſcurum eſt, quem quiſque ſibi ordinem elegerit videre, & exempla ſtudioſorum animos ad imitationem magis quàm præcepta permouere ſolent.

Oratoria οἰκονομία proprium quendam ductum habet. Actor enim primo firmum aliquod argumentum rhetorica argumentatione contextum, ad permouendam iudicis attentionem proponit: imbecilliora deinde, quæ ſingula robore carent, coniuncta, ac turba ipſa ſuſpiciones augent, medio collocat loco: ſummo autẽ omniũ firmiſſimum ponit, *Oratorũ ordo.*

quo iudex non tam permoueatur, ſed ad cauſæ noſtræ commendationem argumentorum vi actus impellatur.

Defenſor quod in cauſa eſt grauiſſimum, & omnia anteactæ vitæ crimina primò refellit, ne illa iudex ſpectans defenſioni noſtræ animum præcludat: ſimul, vt criminationibus fide detracta, iudicis ſibi religionem demereatur, quem ordinem Cicero in defenſione M. Cælij, Cluentij. Murenæ, Roſcij, cæterorúmque eſt ſecutus: illud verò, in quo cauſæ defenſio conſtat, ad poſtremum reſeruet locum: vt iudicis animus omnibus ſuſpicionibus exutꝰ atque integer, hoc ipſum benignè accipiat, de quo iudicium ſuum ſit facturus. CONSILII autem vt diximus & prudentię eſt, cum ipſius cauſæ vtilitate deliberare factum-ne inficiari, an alio interpretari nomine, an defendere ſit vtilius, vt ſuos cauſis proprios accommodemus locos.

LOCI CONIECTVRALES.

Loci coniecturales.

Coniectura ex omnibus quos ſuprà recenſuimus locis ducitur: proprij tamẽ eius ſunt.

Loci { Voluntas & Poteſtas }

Voluntas excutitur perſonæ qualitate & cauſæ ad facinus impellēte. Perſona variè tractatur. Nam morum probitas, vitæque anteactæ innocentia plurimùm habet & fidei & commēdationis: cuius rei inſigne eſt exemplum apud Ciceronem pro Sylla. Et ſicut dignitas, tuetur reum, ita ipſa nonnunquam in facti argumentum deflectitur, quaſi inde impunitatis ſpe concepta. Quare accuſatoris eſt perficere, vt perſonæ deſcriptióne obiectum crimen probabile fiat, efficiátque reum crimini, de quo iudicium eſt, opportunum. Vehementer autem cædis & facti ſuſpicionem arguunt audacia & temeritas, pertinacia, confidentia, paupertas, cupiditas, ambitio, ſæuitia, & quæcunque cum animi magnitudine atque elatione pugnant. Magnam autem perſonæ qualitas in publicis actionibus æſtimandi copiam præbet. Nam in contractibus quo quiſque munere fungatur perpendi ſolet. l. cum quædam. C. de adminiſt. tut. l. Poſt

Quæ facti ſuſpicionem arguant.

mortem. §.fi.ff.quam ex facto. tut. Eadémque in ciuilibus aliis cauſis diſcrimen facit.l.Si pater fa.§.Qui duos.ff. de adop.l.Sed ſi plur. §. In arrogato. ff. de vulgari & pup.l Emancipatum.§. fi. ff. de Senator.Item in pœnalibus cauſis. l. Aut facta.§. Perſona.ff.de pœnis.l.grac chus C.de adult.l.1.§.fi.ff.ad l.Corneliã de ſicar.Grauiſſimas ex hoc loco ſuſpiciões mouet Cicero in oratiõe pro Deio taro rege,pro Milone pro Sext.Roſcio.

Patronus obiecta negabit,defendet, minuet,ac remediis purgabit, nonnunquam etiam à præſenti quæſtione ſeparabit.

Impulſio, eſt cert' aut temerarius nimis impetus.

Cauſa inducens locis conſtat impulſionis & ratiocinationis.IMPVLSIO inuolutus & temerarius animi eſt impetus:veluti ira,odium, metus, ſpes, cupiditas,ambitio,auaritia, quibus ſuſpicionem actor augebit. Si deſint hæc, cauſam latere dicet, eóque factum furoris cuiuſdam atque amentiæ eſſe,propterea quòd SCELERA vulgò credantur conſilio carere. Defenſor nihil ſine conſilio factum eſſe contendet,nocendíque & alterius fortunis ac capiti inſidiandi illiberalitatem in odium ac ſuſpicionẽ trahet.Et ſi cauſæ reddantur

eas tamẽ in omnibus valere perſonis negabit. RATIOCINATIO commodorũ ſpẽ oſtendit, qualis eſt in cauſa Miloniana, vbi Clodius vitæ Milonis inſidias feciſſe probatur. *Ratiocinatio.*

Poteſtas confirmatur, loco, tempore, inſtrumentis, connexis, ſignis, & eiuſmodi circunſtantiis, quibus Cicero in oratione pro Milone & Deiotaro, Cluentio & M. Cælio vehementiſſimè eſt vſus. Signa ſunt antecedentia & conſequẽtia: vt ſonus, clamor, pallor, tremor, gemitus, latitatio, metus, titubatio, vultus, vocis ſtatúſque, mutatio: de quibus diximus. Patronus ad diluendas ſignorum ſuſpiciones vtetur abſolutione & inuerſione, vt ſigna ad cauſæ ſuæ conuertat vtilitatem. *Signa.*

DE LOCIS FINITIONIS.

Finitio quid ſit, & quibus conſtet, ſuprà retulimus. Breue hoc eius ſit præceptum, vt in animo conſtituamus quid efficere velimus, eo modo propriã rei definitionẽ & cæteris circũſcriptã verbis, enũciaturi. Euertitur enim, ſi aut falſa ſit, aut parum plena: fit autem *Finitionis loci.*

plenior argumẽtis antecedentium, conſequentium, adiunctorum, cauſarum, effectorum: quibus Cicero pro A. Cecinna definitionem illam quid ſit vis, conplexus videtur. Etymologia certe rarior exiſtit, qua tamen idem vſus eſt Philip. 8. in definitioue nominis tumultus. VIS DEFINITIONIS ampliſſima eſt in cauſis ciuilibus. Sæpe enim in ipſa rei definitione, cùm de re non ſatis conſtat, in coniecturam dilabimur: vt ſi quæras, quid ſit æternitas. Nonnunquam res ipſa certa eſt, conſtátque de facto: de nomine tamen quæritur. An perinde homicida ſit, qui funeſtis manibus mortem ſibi conſciuerit, *a* atque is à quo homo confoſſus dicatur? Sit ne tyrannicida philoſophus ille qui ſapientiæ præceptis violentos tyranni affectus ad vitæ motúmque probitatem reuocarit? An inuentus in lupanari alterius cum vxore habendus ſit adulter? *b* Ideóque rectè præceptum eſt, ſyllogiſmum infirmiorem eſſe definitionem. Nam ex definitione frequenter in qualitatem incidimus. Quid enim veneum, quid amor, quid inſania, quid amatorium ſit, facti qualitas oſtendit. *c* EST ENIM quædam

a C. de iis qui ſibi mortẽ cõſc. & l. ſi quis aliquid. §. Miles. de pœn. et ibi doct. d.

b l. quæ adulterium. C. de adul. & ſtupr. ibi Bart.

c l. ſiquid aliquid. §. qui abortionis. d. de pœ. l. 3. §. ſed id. ad l. Corne. de ſica. d.

inter hæc cognatio: & quemadmodum Liuia maritum ſuum odij cauſa aconito extinxit, ita Lucilia maritum ſuum Lucretium, quem animo egregiè charum habebat, dato amatorio in furorē egit. Antiſthenes philoſophus inſania quàm amore laborare maluit, quòd illam medici auferre poſſint, hic mētem omnem homini eripiat.

Liuia *Lucilia,* *Antiſthenes.*

DE LOCIS QVALITATIS.

Qualitatem hic dicimus non eam quæ eſt ex decem illis vocibus, ſed quæ quātitatem, materiam demonſtratiuā & deliberatiuam & iudicialem complectitur: eiúſque partes in ſtatu iudiciali oſtēdimus. Plurimus certè eius ciuilibus in rebus ac criminalibus cauſis eſt vſus. Nam perſonæ, loci, temporis, facti, quæſtionis, atque iſtiuſmodi rerum qualitas inuidiam auget aut minuit: & in beneficiorum viciſſitudine, vnde gratia collata ſit, ſcire refert: recipítque ea, vt Fabius Quintilian⁹ exiſtimat, maxima oratoris opera, quia in vtranque partem plurimū eſt ingenio loci: nec vſquam magis affectus valent, regnátque vel præcipuè in hac eloquentia.

Qualitatis loci.

His ſuccedunt quatuor illa, quorum ſuprà mentionem fecimus, ſtatuum ſimulacra, ſcripti & voluntatis, contrariarum legum, ſyllogiſmi, & amphiboliæ.

DE SCRIPTO ET VOLVNTATE.

Loci ſcripti et voluntatis.

Scripti & voluntatis contentio, quã Græci ῥητοῦ καὶ διανοίας vocant, in foro & ciuilib⁹ negotiis, ac ſacris etiam ſcripturis frequens eſt. vt enim lex ipſa ex verbis & ſententia conſtat, l. Scire leges. ff. de legib. ca. propterea de verb. ſig. ita hinc ſæpe controuerſia oritur, quod accidit cúm lex aliquam gignit obſcuritatem, qualis eſt illa: Lex peregrinum vetat in murum aſcendere, aſcendit, hoſtes repulit, accuſatur. Duplex eius eſt genus. Nam aut de ſcripto & voluntate ſimul quæritur: aut altera pars ſcripto, altera voluntate nititur. Cum ῥητὸν contra διάνοιαν defenditur, fraudem legi fieri iuriſconſultus exiſtimat: Contra legem (inquit. ff. de leg. & Senatu.) facit, qui id facit quod lex prohibet. In fraudem verò legis facit, qui ſaluis verbis legis, ſentẽtiam circumuenit. *a.* Qui tamen ſcripto nititur, legis verba cum

a l. nõ dubium C. de l.

æquitate coniuncta eſſe, aduerſarij intẽtionem cum ſcripto pugnare, iudicis religionem & ſacramentum ideo adhiberi contendet, vt ſecundum ſcriptum ſententia feratur. Legi parendum, non adſciſcendam nouam eſſe interpretationẽ, miniméque mutanda, quę certam interpretationem ſemper habuerint. *b* Qui ſcriptum voluntate nixus oppugnat, dicet ſeruari id non poſſe quod ſcriptum ſit. aut exemplis probabit, ſcripto ſtare ſemper non oportere: aut legiſlatoris voluntatẽ à ſcripto eſſe alienã, vt in hac cõtrouerſia. Noctu cum ferro deprehẽſus vinciatur. Cũ annulo ferreo interceptũ magiſtrat' alligauit. Volũtatẽ igitur poti' quã ſcriptũ in omni cõtrouerſia ſiue teſtamẽti, ſiue legati, ſiue pignoris, ſiue contractus ſequẽdã eſſe perdocebit, quod ipſi iuris interpretes adnotãt in l. inſulam. ff. de pręſcriptis verbis l. 3. C. de lib. pręter. l. obligationũ. ff. de actio. & obli. Probãdum deniq; locis communibus, verborũ aucupiis ſententię ęquitatẽ pręferri oportere. l. placuit C. de iud. l. Labeo de ſup. leg. facit ca. 2. requiris, extra de appellatio. Legis itẽ ſententiã atque mentem eſſe perfectiorem l. ratum. ff. de ſol. l. quo enim tut. §. Iulian'. ff. rẽ

b l. minime d. de leg. l. rem nõ nouã & auth. de iud. §. oĩs, col. 6.

ratam hab. Ac proinde ius definiri, artem æqui & boni·l.1.ff. de iuſtit. & iure Vt æquitatem potius quam verba ſpectemus.l.in ambigua.ff.de leg. cap. vlt. de tranſact.l.ſin autem.§.ſed & his. Poſtremò facilè in toto iure ſcripto apparere legis ſententiam ſcripto eſſe anteferendam. Propriè tamen huius ſtatus loci ſunt cauſarũ & effectuum, & quæcúnque definitionem iuuant. Refertur autem vel ad qualitatem, vel ad coniecturam. Exemplum pulcherrimum habes apud M.T. Ciceronem in oratione pro A.Cecinna,in l.nonnunquam.ff.ad Senatuſcon.Trebellia toto illo tit.ff. de rebus dubiis.

DE CONTRARIIS LEGIBVS.

Loci contrariarũ legum.

Cum lex legi obſtat, ſtatus naſcitur ἀντινομίας. Neque enim lex legi contraria eſſe poteſt. quod ipſe Imperator in prima conſtitutione C.§. quibus, atteſtatur,& probat. l. omnis. ff. de except. Sed caſu leges colliduntur atque euẽtu: vt, tyrannicidæ imago in theatro ponatur, mulieris imago in gymnaſio ne ponatur, Tyrannum mulier occidit. Plurimus in ἀντινομίας inquiſitione apud

iureconſultos eſt Bartolus, & indicat eius generis inſignia aliquot exempla in adnot. in pandectas Budæus. Eſt autem ius omne de quo quæritur, dubium aut confeſſum. In iure confeſſo quærimus, vtra lex antiquior, potentior, æquo ac bono ſimilior: quorum omnium ratio, niſi propoſita materia, tractari non poteſt. Quare hic ſtatus vel coniecturæ vel qualitatis erit. Sed imprimis danda opera, vt quæ contrariæ videntur leges, ad vnam certam aliquam & conſentientem æquitatis rationem referantur potius, quam corrigantur l. vnica de inofficio.do.l.præcipimus C. de appel. cap. dilectus, extrà de conſuetudine. cap. inter dilectos. extrà de fide inſtrumentorum.l.de quibus. ff. de legi.l.nam & poſteriores . ff. e. Pulchram in hac re operam nauauit magnus ille iuris interpres Bartolus, & illum nuper ſecutus Stephanus de Phedericis, cuius hodie doctiſſimi de iuris interpretatione circunferuntur commentarij.

DE SYLLOGISMO.

Magnam cum finitione ſyllogiſmus habet cognationem. Nam in illa, idém- *Syllogiſmus.*

ne ſit nomen: in hoc, an perinde haben-
dum ſit, quęritur. Inciditque in ſyllogiſ-
mum infirma definitio. Ergo hunc ſta-
tum incidentes controuerſiæ atque ca-
ſus nullis certis comprehenſi legibus
conſtituunt, quoties id quod incertum
eſt ad ſimilia & cognata referimus: ex-
cutimúſque qualitate, quamobrem ne-
que leges, neque ſenatuſcónſulta om-
nes caſus comprehendunt, *a* conſtituun-
túrque ex iis quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον non
quæ ἐκ παραλόγου accidunt. Neque cre-
brò hoc ſtatu vtuntur iuriſconſulti: re-
fertur enim ad qualitatem. vt, An que-
madmodum nullum de ſua domo in ius
educere liceat, *b* ita nec extra taberna-
culum? & quia aratrum pignori accipe-
re leges vetant, an & vomerem? An per-
inde habendum ſit occiderítne quis, an
cauſam mortis præbuerit? *c* Totus hic
locus à dialectico petitur. Pendet enim
ex cauſa, effectis, genere, toto, & locis
communibus: à quibus ſimilia, quorum
hic maximus eſt vſus, trahuntur & iu-
dicantur. Quare in primis intuendum,
ne ſimilitudine decepti, vnam ac ineptã
ſyllogiſmi conſequentiam contexamus.
Quæ ad hunc locum pertinent, amplius
ſcribit Stephanus de Phedericis in libro

a l. quæ a ctionẽ. de præſcrip. verb. l. quæſitũ ſcio. ff. de teſtibus. l. 1. quib9 bo. poſ. nõ cõpetit. d.

b l. plerique d. de in ius vocãdo. l. nemo de do. de re iudica. d.

c l. nihil refert. ad l. Corneliam de ſica. d.

de interpretatione legum.

DE AMBIGVO.

Ambigui ſtatus ex vocabuli ambiguitate & diſſenſione oritur, explicatúrque definitionis & diuiſionis locis. Omnis enim contentio in hoc conſiſtit, vter ſermo ſecundũ naturam magis ſit, vter ęquior, vter voluntati legis ſcriptę aptior. Nam iureconſulti pręcipiũt, in ambiguis rebus humaniorem ſequendam eſſe ſententiam l. Intelligentia. ff. de verbo. ſignif. cap. Pręterea. e t. l. 3. C. de liberis pręter. l. Scire leges. ff. de legibus. Sũt enim verba, quoad eius fieri poſſit, ad legis ſenſum ac voluntatem referenda l. Labeo ff. de ſuppel. leg. l. Nepos Proculo. ff. de verborum ſignificatio. Non tamen temerè, & ſine vlla controuerſi iuris diſceptatione à propria verborum ſignificatione declinandum erit. l. Non aliter. ff. de leg. 3. l. 1. §. Si is qui. de exercito. leg. In obſcuris. ff. de regulis iuris. gloſſa in leg. Cum de nouo. in fine. Cod. de legibus. l. quod Seruius, & leg. Quiſquis. ff. de verbor. ſignific. Sed tum demum in rebus dubiis humaniorem ſententiam nos ſequi oportet, cum legitimis pręſumptionibus alia, quàm

Status ambigui.

verba reddunt, legis ſententia atq; mẽs colligi poteſt d.l.In obſcuris.l.Semper. ff.de regul.iuris.l.Si diuo.ff.de re iudic. Extant harum rerum cùm paſſim præceptiones,tum toto illo titulo. ff.de rebus dubiis: vnde & exempla peti poſſunt. Sunt autem multæ ἀμφιβολίας formæ. Nam controuerſiam facit ὁμωνυμία, vt taurus: aut dictionis vel diuiſio, vel coniunctio, vt ingenua: aut caſus in coniunctis facit ambiguitatem. Vnde illa controuerſia apud Fabium Quintilianum: Teſtamento quidam iuſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentem. quæritur, ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta. Talis & hæc eſſe poteſt: Rogat teſtator hæredem, vt matri ſuæ alimenta præſtet. Prodeſt igitur in eiuſmodi controuerſiis φράσεις καὶ σχήματα diligenter excutere. Refertur autẽ hic ſtatus ad coniecturam.

DE ELOCVTIONE.

Elocutio omnium partium pulcherrima & vtiliſsima.

Omnium partium vt pulcherrima, ita quoque vtiliſſima eſt elocutio, quæ dilucida, perſpicua, ornata, & apta oratione res explicat atque exornat. Nã & ea profu-

profuſam illam & immenſam rerum omnium inuentionem, tum varietatem in lucem admiratiouémque adducit: & ſuam rebus ieiunis plenitudinem, horridis nitorem, peruulgatis nouitatem admirationémq; addit: & rerum omniũ naturam atque proprietatem certis vocabulis, ceu rerũ notis ſignat & explicat. Perirent nimirum cætera omnia optimarum artium ſtudia in perpetuam obliuionem adducta: omnia vitę, religionis, rerúmque geſtarum exempla, omnia philoſophię conciderent documenta, niſi elocutionis ſplendore illuſtrarẽtur. Nulla ciuilium rerum procuratio ſuſtineri, nulla Reipublicæ dignitas cõſeruari, nulla patriæ fortunatiſimq; propugnatio ſuſcipi ſine elocutione poteſt. Quare ad eam perdiſcendam conuertenda mens noſtra, animíque ſenſus omnes, ne eius fructu pulcherrimo deſtituamur. *Elocutio vis vis maxima*

QVOTVPLEX ELOCVTIO.

Elocutio igitur, quæ φράσις Græcis dicitur, de ſententia Craſſi apud Cic. li. 3 & Fabij. Quintiliani lib. inſtitutionum

oratoriarum octauo, aut ſimplex eſt, aut coniuncta.

Elocutionis partes.

Simplex conſtat { Sermone latino & perſpicuo, Ornatu, Apto dicẽdi genere.

Coniuncta laudatur, ſi emendata, ſi figurata, ſi collocata ſit.

DE LATINO ET PERSPICVO SERMONE.

Latinus ſermo & perſpicuus ex grammaticis diſcitur, qui vocabulorum flexus, ὀρθογραφίαν, προσῳδίαν, ἐτυμολογίαν καὶ σύνταξιν explicantes, monent in primis barbariſmum & ſolœciſmum fugiendum eſſe. quorum ille ſcripto & pronunciatione: hic etymologia & ſyntaxi malè contexta committi ſolet. Deinde obſeruandum in omni ſcripto & ſermone, quo animi ſenſa proferuntur, vt oratio noſtra ſit propria, ſignificans, plena, ſonans, non tamen obſcœna & ſordida, aut humilis infra rerum aut ordinis dignitatem. Eáque de cauſa certa quædã orationis ab iis vitia, quæ tamen au-

Latinitatis vitia barbariſmus & ſolœciſmus.

thoritate excuſantur, enumerantur: vt ἀκυρολογία, id eſt impropria dictionis poſitio: qualis eſt in vllo Vergilij, Tantum ſperare dolorem. κακόφατον, id eſt, deformis & obſcœna pronunciatio: vt arrige aures Pamphile, & apud Saluſtium, ductare exercitus. ταπείνωσις, vitium humilitatis, quo rei magnitudo extenuatur, vt ſi verrucam ſaxeam pro ſummo montis vertice dixeris. Cui vitium contrarium eſt, quoties rebus humilibus nomina damus ſplendida: vtrúmque ſuam habet gratiam, cum de induſtria riſus inde captatur. πλεονασμὸς, abundans ſupra neceſſitatem adiectio. Cicero in Catilinam, Vt tum animis ſaluti veſtræ prouideretis, cum oculis maleficium videretis. Quo in exemplo, præter πλεονασμὸν, coniunguntur ἰσόκωλον καὶ ὁμοιοτέλευτον.

Ταυτολογία, eiuſdem dictionis deformis iteratio. qualis eſt, pro Cluentio: Non ſolum illud iudicium iudicij ſimile iudices non fuit. ἔλλειψις, ſermonis defectus: Hæc ille, deeſt dixit. περισσολογία ſuperuacua verborum adiectio & quædam veluti vitioſa περίφρασις, Ibāt quà poterant, quà non poterāt ibi ſtabāt. μακρολογία, longior æquo ſē-

tentia. vſus ea Liuius, Legati non impetrata pace retro domum vnde venerant reuerterunt. κακοσύνθετον id eſt male collocatum. Tale eſt. Verſaque iuuem cum terga frangimus haſta, ἀμφιβολία quam ſuprà notauimus multa huius generis extant apud grammaticos: nos potioribus vacabimus. Habent enim Latinæ linguæ cognitionē facilem, & vſum neceſſarium, quem tamen puerilis quædam doctrina tradit, ratio literarum alit, conſuetudo ſermonis quotidiani confirmat.

Obſcuritatis vitia à grāmaticis petēda.

DE ORNATV.

Ornatus

Ornatus dicendi oratori adfert tum admirationem, tum dignitatem, & quādam popularem ingenij gratiam ac laudem: eiúſque ſplendor, magnificentia, atque nitor efficit ac præſtat, vt auditores ex voluntatis noſtræ affectu propendentes, vel animis capti, ſententiam ſuam acclamatione atque plauſu profiteantur. Nam & ingenij admiratio omnis, & eloquentiæ ſplendor, & oratoris dignitas ornatu continetur. Neque enim oratorem quòd latinè, quod perſpicuè locutus fuerit, quiſquā eſt admi-

Cic. 3. de Orat.

ratus, cùm reprehendere atque irridere, ſi vitioſè diceret,ſuo poſſit iure. Sed qui explicatè, qui propriè, qui abundanter, qui illuminatè, qui ornatè denique & apta verborum reiúmque collocatione animorum ſenſus enunciare poſſunt,eos vulgus omnis laudis prædicatione maiores eſſe exiſtimat, eos ſtupefactus admiratur,eos deos quoſdā inter homines eſſe putat.Sed is demū ornatus commēdatur,qui virilis eſt & honeſtus,ſententiis popularis, trāſlationib' magnificus, figuris expolitus ac iucundus, compoſitione firmus,ſanguinè ac viribus nitens, ad ipſam materiam denique, orationíſque genus accōmodatus. Nam in demōſtrationibus, quæ nonnunquam ad ſolidam dicentis laudem ingeniíque gloriā conuertuntur, magnificus, illuſtris, ac ſublimis,omnis exornationum gratia ac venere excultus eſſe debet. Preſſior contrà & ſeuerior in magnis rerum momētis ac Reipub.conſultationibus: in quibus oratio ſenatus maieſtati ac conſultantium moderationi eſt attribuēda. In iudiciis & graui fortunæ capitíſque diſcrimine, accurato potius quàm ornato dicendi genere reo ſalus acquirenda erit. *Ornatus quibus commendatus.*

Eſt autē omnis ornatus in { Tropis. Figuris. Amplificationibus.

DE TROPIS.

Tropus Quint. lib. 9. c. 1.

Tropus eſt vocis à naturali ſignificatione in aliquam vicinam, ornandi ſermonis gratia, conuerſio, ſic dictus ἀπὸ τοῦ τρέπειν, id eſt vertendo: vertit enim & transfert ſermonem ab eo loco in quo proprius eſt, in eum in quo eſt improprius.

Numerantur inter τρόπους. {
- μεταφορά.
- μετάληψις.
- συνεκδοχή.
- μετωνυμία.
- ἀντονομασία.
- ὀνοματοποιΐα.
- κατάχρησις.
- ὑπερβολή.
- ἀλληγορία.

Metaphora.

Μεταφορά, eſt vocabuli à propria ſignificatione in aliam tranſlatio, cognata cōparationi. Nam vt rebus exprimendis

adhibetur comparatio, ita metaphora pro re ipſa dicitur. Comparatio eſt cum indicat Cicero, Decianum furto obnoxium, vt monedulam eſſe: Metaphora, cum violentum raptorem, lupum: inſidiatorem, vulpeculam: iræ intemperantem, leonem: pauidum ac fugacem, aſinum vocamus. ſic concionum procellas, gloriæ fontem Cicero dicit, à quo hic tropus miris laudibus vehitur. Nam & rerum pulchritudini ſuum addit ſplendorem, & in tanta vocabulorum inopia, ſuam rebus cunctis addit appellationē. eſt enim metaphora primum ex inopia & anguſtiis, pòſt autem iucunditate ipſa celebrata. Quod enim cæteris in rebus, idem & orationis tropis ac figuris euenit, vt vtilitatem neceſſitatémque ſuauitas quædam conſequatur. Sed monet Fabius modico atque opportuno eius vſu orationem illuſtrari, frequenti obſcurari & tædio compleri.

3. de Orat.

Lib 8. cap. 6. de tropis.

Μετάληψις, tranſſumptio eſt nominis non à ſimili vt metaphora, ſed ab effectu per medium quendam gradum. tropus rarior & maximè improprius. Horatius in odis,

Tranſſumptio.

Pallida mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas regúmque turres.

Mors enim pallida corpora efficit. ſic præceps ira, ſegne otium.

Synecdoche. Συνεκδοχὴ eſt comprehenſio totius ex parte, vel partis ex toto: familiarior poëtis quam oratoribus, vt ſi mucronem pro gladio, tectum pro domo vſurpemus. Hoſtis habet muros. & illud Liuij, Romanus prelio victor. Sed hoc poſtremum propter numerorum libertatem multum gratiæ compoſitioni præſtat.

Metonymia. Μετωνυμία, quam hypallagen nonnulli vocant, tropus ſuperioribus affinis, inuenta ab inuentore, vt ait Quintilianus, & ſubiecta à continentibus ſignificat: vt Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: & ſine Cerere & Baccho friget Venus. Hic Ceres pro fruge, Bacchus pro vino. Venus pro libidine ponitur. Videndum in hoc tropo, quid fori ſeueritas, quid item poetica ferat libertas.

Antonomaſia. Αντονομασία, deſcriptio eſt, vice nominis poſita: cum pro Scipione, Carthaginis & Numantiæ euerſorem: pro Cicerone, eloquentiæ parentem: pro Paulo, apoſtolum: pro indignatione, aut etiam facilitate, ſtomachum dicimus. prioris exemplum eſt, ſtomachum facere, id eſt, iram concitare. Poſterioris eſt illud Ciceronis ad Cereliam cauſam reddentis

cur Cæſaris dominationẽ toleret. Hæc (inquit) aut animo Catonis ferẽda ſunt, aut ſtomacho Ciceronis. Et quo Plinius in præfatione naturalis hiſtoriæ vtitur. Argumentum, ait, huius ſtomachi mei habebis, hoc eſt propenſionis, & facilitatis.

Ονοματοποιΐα fictio nominis de ſono expreſſi, vix oratoribus permiſſa. Verg. Clamórque virûm clangórque tubarũ. Inde mugitus, ſibilus, & mutire deducta ſunt. Terentius in Andria, Itaque hercle nihil iam mutire audeo. Et Plautus, Nõ mutit cardo, id eſt non crepitat. In Piſonem Cicero, Sic ſuos ſenſus voluptarios omnes incitauit, ſic ad illius hãc orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed libidinis authorẽ inueniſſe ſe arbitraretur. Eodẽ in loco, Cũ iſto ore fœtido teterrimã nobis popinã inhalaſſes. *Onomatopœia.*

Κατάχρησις vocabuli abuſio, hoc differt à metaphora, quòd illa vbi nomen deeſt, hæc vbi aliud fuit nomen, ponitur. Parricidam enim dicimus, qui cognatũ occiderit: & piſcinã, quæ piſces non habet. Rhetores quoque de induſtria ſic κατάχρησιν vſurpant, vt pro temeritate fortitudinem, pro luxuria liberalitatem dicant. *Catachreſis.*

Hyperbole. Ὑπερβολὴ dictio eſt veritatis fidem naturalémque modum excedens, vt niue candidior, Craſo ditior, Codro pauperior, tardior teſtudine. Familiaris tropus & poëtis & oratoribus, quando natura eiuſmodi quendã oĩbus augendi, vel minuendi affectũ cupiditatémque inſeuit.

Allegoria. Ἀλληγορία ſententiæ inuerſio eſt & quædam perpetua metaphora, aliud verbis, aliud ſenſu ſignificans, vt ſanctum dare canibus, & apud Hora. Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem: Solue ſeneſcentem maturè, ſanus equum, ne Peccet ad extremũm ridendus, & ilia ducat. Et miror eſſe nauem qui perforet, in qua ipſe nauigat. Vſus huius opportunus ac moderatus, multum & gratiæ & ſplendoris oratori aſpergit, ſiue triſtia melioribus, ſiue obſcœna honeſtioribus exprimere verbis, ſiue indicare quædam obliquè malimus quàm apertè enunciare. Quare ſpecies allegoriæ à Rhetoribus enumerantur, αἴνιγμα, εἰρωνεία, ἀντίφρασις, χαριεντισμὸς, μίμησις, σαρκασμὸς, ἀστεϊσμὸς, μυκτηρισμὸς, παροιμία.

Aenigma. Αἴνιγμα obſcura ſententia poëtis magis, quàm oratori permiſſa, vulgo tale fingitur: Mater me genuit, eadem mox ex me

gignitur. Aqua enim in niuem cõcreta, rurſum fit aqua. Venuſtius eſt hoc Heſiodi, πλέον ἥμισυ παντός.

Ειρωνεία illuſio & diſſimulatio quædam eſt, cuius ratio orationis circunſtantiis vel rei natura, vel pronunciatione colligitur. Vt apud Vergilium: Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis. Et in Piſonem, Tu ſcilicet homo religioſus & ſanctus. *Ironia.*

Αντίφρασις, vnius verbi eſt ironia, vt bellum, quaſi minimè bonum. Hoc tropo vtimur quando pinguem vel craſſum hominem, acutum vocamus. *Antiphraſis.*

Χαριεντισμὸς, cognat⁹ tropus ἀντιφράσει, Dura enim & dictu fœda mollioirb⁹ circũſcribit verbis: vt, bona verba quæſo. *Charientiſmos.*

Μίμησις non diſſimilis eſt ironiæ, verba enim & geſtus alterius per illuſionem repræſentat. *Mimeſis.*

Sic Terentius in Eunucho.

At ego neſciebã quorſũ tu ires, parũola
Hinc abrepta, eduxit mater pro ſua &c.

Σαρκασμὸς quoque ironiæ forma eſt, hoſtilis deriſio, qua victor victo illudit. Vergilius, *Sarcaſmos.*

En agros, & quã bello Troiane petiſti,
Heſperiam metire iacens.

Et in euangelio, Aue rex Iudæorum.

Aſtiſmos Αστεισμὸς, longe petitũ ſcõma habet, cũ quadam vrbanitate, Verg. in Palemone:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,

Atque idem iungat vulpes & mulgeat hircos.

Refertur apud Lucianũ in vita Demonactis tale, πρότερον ὁ τὸν τράγον μέλγων, ἢ ὁ κόσκινον ἐπιθεὶς, ἀφρονέστερος. vtimur autem his in re vehementer abſurda.

Myčteriſmos. Μυκτηρισμὸς in corporis geſtu & ſcurrili quodam ludibrio ponitur, & hodie prouerbiali figura, naſo aliquem ſuſpendere dicimur, id eſt ſcommatico dicterio lædere. Nam μυκτηρίζειν καὶ ἀντιμυκτηρίζειν græcis ſignificat irridere, & viciſſim irridere, ἀπὸ τοῦ μυκτῆρος, id eſt naſo.

Paræmia Adnumerari ſolet tropis παροιμία, cuius inſignem interpretem habes D. Eraſmum Roterodamum.

Homœomeſis. Homœomeſis, quæ quandam habet per ſimilitudinem demonſtrationem: item εἰκὼν, id eſt imago, ſiue formæ cum forma per ſimilitudinem collatio, venuſtum imprimis ornamentum ad res illuſtrandas, augendam vel minuendam inuidiam. Referetur igitur inter ſententiarum figuras. παράδειγμα καὶ παραβολὴ ad locos argumenti pertinent.

DE FIGVRIS.

Figuram ornatus ſpeciem ſecundam fecimus. ea eſt orationis quædam conformatio, qua ſimplicis & vulgaris ſermonis habitus, & velúti geſtus arte quadam nouatur. Rhetores eam, ſicut & orationem vniuerſam, partiũtur in verba & ſententias. Erunt itaque & nobis σχήματα λέξεως καὶ διανοίας. Quantum autẽ vtilitatis, gratiæ, lucis atque ſplendoris rerum pulchritudini adferant figuræ, non puto longa mihi oratiõe eſſe explicandum. SOLÆ ENIM ſunt, quæ probationis fidem, quæ actionis fauorem, quæ affectuum varietatem, quæ officij religionem, dicentis induſtriam, ingenij facilitatem & gloriam commendant: & obrepentis faſtidij miſeriam orationis varietate depellunt. Cum cæteris rebus gratiam ac venuſtatẽ præſtat varietas, multò aptior erit ad conciliandos retinendóſque animos orationis habitus varijs tum figuris, tum amplificationib⁹ ad id compoſita, quòd dicendo aſſequi velimus. SED MODVS his adhibẽdus, ne earum affectatio, illam varietatis gratiam per-

Figura. *Figuratum diuiſio.*

dat. Quintilianus σχήματα διανοίας verborum figuris anteponit, quòd natura prius ſit, res animo concipere, quàm verbis enunciare. Nos illa ſubtilitate, quam in multis magnus alioqui & egregius Rhetor ambiiſſe videtur neglecta, recentorum ſcholas ſecuti, primum verborum, deinde ſententiarum ſignabimus figuras: quarum aliæ ad ornandam ſunt accommodatæ, quibus ſupra modum Gorgias Leontinus, parcius Iſocrates, accuratius Demoſthenes, & poſt eum Cicero vſus traditur: aliæ etiam ad locupletandam orationem pertinent.

DE FIGVRIS VERBORVM.

Figuræ verborũ.

Schemata λέξεως, alia ad loquendi rationem, alia ad collocationem pertinent. vtraque oratori conueniunt, ſed priora à grammaticis diſcuntur, poſteriora rhetori ſunt familiariora. Quibus autem modis figura exprimatur, ſcribunt Quintilianus, & Iulius Rufinianus, vtiliſſimè autem D. Eraſmus Rotero.

Sunt autem figuræ verborum.
- ἐπαναφορά.
- ἀντιστροφή.
- συμπλοκή.
- πλοκή.
- Traductio.
- ἀσύνθετον.
- πολυσύνθετον.
- ὁμοιόπτωτον.
- ὁμοιοτέλευτον.
- ἰσόκωλον.
- παρονομασία.
- ἀντανάκλασις
- ἀποσιώπησις.
- συνεζευγμένον.

Ἐπαναφορά, quam relationem & repetitionem vocant, figura Demoſtheni & Ciceroni familiaris, & inſignis ad augēdam exornandámque orationem. Repetit enim idem verbum. & aures vehementius ferit, ſenſibúſque tum gratiam, tum vires accommodat. Nihil tam occupatum, nihil tam multiforme, nihil tã variis affectibus conciſum atque laceratũ, quã mẽs mala. Cic. lib. 2. of. Perſuaſum nobis eſſe debet, ſi oẽs deos hominéſq; celare poſſem, nihil tamẽ nobis auarè nihil iniuſtè, nihil libidinoſe, ni- Repetitio.

hil incontinenter eſſe faciendum.

cõuerſio. Ἀντιστροφὴ, conuerſio eſt, ſuperiori contraria. non enim idem verbum repetit, ſed eodem verbo orationē claudit. Cicero pro M. Fonteio, Frumenti maxim⁹ numerus è Gallia, peditatus ampliſſimę copię è Gallia, equites numero plurimi è Gallia. Orationem hæc quoque propter acrimoniam & grauitatem, quā adfert mirificè ornat.

cõplexio. Συμπλοκὴ, id eſt complexio, ſiue connexum, vtramque figuram connectit. Cicero pro lege Agraria contra Rullū, Quis legem tulit? Rullus. quis tribus ſortit⁹ eſt? Rull⁹. quis decemuiros creauit? Rullus. Talis quoque eſt. Quæ res gloriam parit? eruditio: quæ res fortunę opes auget atque ornat? eruditio. quæ res vitæ breuitatem poſteritatis commemoratione compenſat? eruditio.

Ploce. Πλοκὴ ſuperioribus eſt vicina, Latini copulationem vocant, cum idem nomē bis continuo poſitum diuerſa ſignificat, vt, Sed tamen ad illum diem Memmius: erat Memmius prius nomen, poſterius qualitatem ſignificat. Quintilianus eius formas multas facit.

Traductio. Cognata huic eſt traductio, quæ eandem vocem alio caſu repetit, apta illuſtrandæ

ſtrandæ orationi, in ora. Cicero. Cùm gratiæ cauſa nihil facias, tamen omnia grata ſunt. Cùm autem idem repetito verbo ad indignitatem rei exaggerandam exprimitur, παλιλογίαν, id eſt iterationem vocant, vt Tu tu Antoni Cæſari ruenti cauſam belli ciuilis dediſti. Hanc tamen alij eſſe volunt cùm prioris ſententiæ verbum vltimum, ſit ſequentis primum. Vergil.
Concurrunt Thyrrenæ acies, atque omnibus vni Vni odiíſque viro, telíſque frequentibus inſtant.
Et in Catil. Hic tamen viuit, viuit? immò verò etiam in Senatum venit. Cùm dictio eadem odioſè repetitur, ταυτολογίαν vocant, de qua ſupra diximus.
Ἀσύνδετον, Cum oratio coniunctionib⁹ caret. Cicero diſſolutum, Fabius diſſolutionem vocat. Eſt enim apta figura cũ quid inſtantius dicimus: vt illud in Piſonem, Nõ enim nos color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, nõ dentes putridi deceperunt, oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus: qui ſermo quidem tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit, hic eos, quibus erat ignotus decepit, fefellit, induxit. *Aſyndeton.*
Πολυσύνδετον priori cõtrarium ſchema, *Polyſyndeton.*

coniunctionibus abundans, & poëtis familiarius, vt armáque Amiclæúmque Creſſamque pharetram.

Similiter cadens. Ὁμοιόπτωτον, id eſt ſimiliter cadẽs, vt pro Flacco: Nulla in his eſt varietas opinionis, nulla voluntatis, nulla ſermonis. Nota figura.

Similiter deſinens. Ὁμοιοτέλευτον, ſimiliter deſinens dicitur, cum ſimili ſono membrorum commata deſinunt. Abiecti hominis eſt, alienam laudem contumeliæ offerre, ſuam abiicere, voluptates petere, eruditionis gloriam ſpernere.

ἰσόκωλον. Pulcherrimum autem eſt quod membris adæquatum eſt & ἰσόκωλον dicitur, quale eſt pro L. Valerio Flacco: Nominibúſque recitatis homo audaciſſimus pertimuit, loquaciſſimus obmutuit. Et primum illud exordij membrum pro A. Cecinna: Si quantum in agro locíſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret, non minus in cauſa cederet A. Cecinna Sext. Ebutij impudentiæ, quàm tũ in vi facienda ceſſit audaciæ. Cõiuncta enim ſunt ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον.

Paranomaſia. Παρονομασία agnominatio, & quædam ex literarum ſimilitudine in contrarium declinatio. Terentius, Nam inceptio eſt

amentium, haud amantium.

Ἀνταναχλασις quæ Cornificio traductio dicitur, huic vicina eſt, cum idem verbum mutata ſignificatione repetitur. Iucundum amari, ſi cauetur ne quid inſit amari. *Antanaclaſis.*

Ἀποσιώπησις, id eſt, reticentia, Teren. in Eunuch. Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? deſunt ſingula verba. *Apoſiopeſis*

Συνεζευγμένον à pleriſque hic additur, in quo vnum ad verbum plures ſententiæ referuntur, in Catilinam: Neque enim is es Catilina, vt te aut pudor vnquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. *Συνεζευγμένον.*

DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

Sententiarum figuræ, lumina & ornamenta orationis ſunt: nam & orationē lucidam, iucundam, vehementem & illuſtrem faciunt: & augent affectus, ad inflectēdos audientium animos. adeóque tota cauſa gratia omni ac fide deſtituitur, niſi ſententiarum illuminentur conformationibus. *Figura ſententiarum.*

Sūt autem σχήματα διανοίας quę ad exornandam orationem pertinent, hæc præcipua.

- Ερώτημα.
- Απόφασις.
- Ανακοίνωσις.
- Παράδοξον.
- Απορία.
- Exclamatio.
- Αραία καὶ δέησις.
- Παράληψις.
- Αποστροφή.
- Παῤῥησία.

Ερώτημα.

Ερώτημα interrogatio eſt, figura notiſſima, quid enim tā vulgare eſt, quàm interrogare? ſed vis eius multiplex eſt. Nā & ſimpliciter interrogamus, & interdum non ſciſcitandi tantum, ſed vel inſtandi, vel conuincendi, vel inuidiæ, vel commiſerationis cauſa interrogamus. Obſeruabit igitur iuuent⁹, quam vim habeat interrogatio: quæ ſi frequentior πύσμα appellatur.

πύσμα.

Apophaſis.

Απόφασις ſubiectio, cum ad interrogata ipſi reſpondemus, & rationem reddim⁹. vt Cic. pro L. Vale. Flacco: Quem enim alium appellem? quem obteſter? quem implorem? Senatum ne? at is auxilium petit à vobis: & confirmationem authoritatis ſuæ, veſtræ poteſtati permiſſam

eſſe ſentit. An equites Romanos? Iudicabitis principes eius ordinis quinquaginta, quid cum omnibus ſenſeritis. An populum Romanum? At is quidem omnem poteſtatem de bonis tradit vobis. Ἀνακοίνωσις, cõmunicatio, cùm vel aduerſarios conſulimus, vel cum iudicib⁹ deliberamus, vt in hoc Catonis: Si vos in hoc loco eſſetis, quid aliud faceretis? Et pro Quintio, Si de prædiis tuis ageretur Sex. Næui, ſi in paruulare captionis aliquid vererẽre, non ſtatim ad C. Aquilium, aut eorum aliquem qui conſuluntur cucurriſſes? Venuſtum in primis ſchema ad extorquendam confeſſionem. *ἀνακοίνωσις Communicatio.*

Eadem eſt natura eius figuræ, quam permiſſionem vocat, quæ & communicationis: cum aliqua iudicibus relinquimus æſtimanda. Vt vobis iudices cogitandum relinquo, quid hinc detrimenti Reſpu. acceperit. Et illud Calui in Vatinium, Perfrica frontẽ, & te dic digniorem, qui prætor fieres quàm Catonem. *Permiſſio.*

Παράδοξον, his cognatum eſt quod inopinatum vocant, tametſi Fabius pro figura non habeat, vt Nunquam credidi fore iudices, vt reo Scauro, ne quid in *Paradoxum.*

eius iudicio gratia valeret precarer.

Aporia. Ἀπορία ſiue διαπόρησις, id eſt, dubitatio, priori affinis eſt, non iniucunda figura, & quæ veritatis extemporaliſque orationis facilitatem præcipuè commendat. Simulamus enim nos neſcire, vnde primum exordiamur: vt in prooemio orationis pro Q. Ligario, Itaque quò me vertam neſcio. Et apud Terentium in Eunucho: Quid commemorem primũ, aut quem laudem maximè, illúmne qui dedit conſilium, aut me qui auſus ſim? Sunt autem augendis affectibus maximè accommodatæ hę figuræ, quæ ſimulatione conſtant.

Exclamatio Exclamatio Cicer. lib. 3. de oratore, ò fallacem hominum ſpem, fragilémque fortunam, & inanes noſtras cogitationes? quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo caſu obruuntur, quã portũ conſpicere potuerint. in Piſonem ò, ſcel⁹, ò labes, ò peſtis.

Ἀρὰ Ἀρὰ, oratoria eſt execratio, vicina exclamationi, quemadmodum eſt δέησις, obteſtatio ſiue obſecratio. Prioris exẽplum eſt apud Ciceronem in Catil. O ſcelus, ò portentum in extremas terras exportandum. Poſterioris eſt pro Deiotaro, Per dextram iſtam tuam ego ob-

teſtor, per has lachrymas, &c. Et in Andria:

Quod ego per hanc te dexteram rogo
& genium tuum,
Per tuam fidem, pérque huius ſolitudinem
Te obteſtor, &c.

Παράληψις, præteritio, quam Cicero occupationem vocat, cum nos prætertire ſimulamus, quod inuidioſè obiicimus. In Piſonem. Omitto illud conſulem edicere, vt ſenatuſconſulto ne obtemperent, quo fœdius nec fieri, nec excogitari quicquam poteſt. *Præteritio.*

Αποςροφὴ ſermonis auerſio, efficax figura ad inuadendum aduerſarium. Pro Ligario: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharſalica gladius agebat? Multiplex huius eſt vſus, ſiue ad inuocationẽ aliquã, ſiue ad inuidioſam implorationem conuertamur. *Apoſtrophe*

Παῤῥησία, licentia, cum quid liberius de nobis confitemur. Sic pro Ligario M. Cicero, Apud te defendit alium in ea voluntate, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe. Et ſuſcepto bello Cæſar, geſto iã ex parte magna, nulla vi coactus, conſilio ac voluntate mea ad ea arma profectus ſum, quæ erant contra te *Licentia.*

ſumpta. Latet ſub hac Ciceronis confeſſione quædam adulatio, vt ſcribit Quintilianus. Non enim Ligarij ſalutem ſolum propugnat, ſed & victoris inauditam clementiam laudibus effert.

DE AMPLIFICATIONIBVS.

Amplificationes.

Maximum atque pulcherrimum eloquentiæ munus eſt, res ornando amplificare, & dicendo altius tollere, aut etiã extenuare atque abiicere. Amplificatur autem oratio cum ἀπόθεσιν ad θέσιν καὶ αὔξησιν, & huiuſmodi locos communes ex quibus illa florentiſſima verborum ac rerum vbertas, probationum fides, affectuum varietas, virtutum officia, ſententiarum ſplendor, ac vniuerſa orationis ornamenta ac lumina ſumuntur, certo animi iudicio referim᷒, vt qui audiunt natura & genere & vniuerſa re cognita, liberius & rectius de litibus iudicium facere poſſint. Quod munus etſi magni cuiuſdam ſit ingenij nec paucis explicari poſſit præceptionibus, propterea quòd non ſolum effingenda nobis atque procudenda lingua ſit, ſed pectus

Cic. 3. de Orat.

quoque maximarum rerum cognitiõe, copia, varietate complendum, noluim⁹ tamen hic prolixiores eſſe. Extãt etiam pulcherrimi libri Eraſmi de verborum & rerum copia, in hanc amplificandi rationem conſcripti: ipſaque res fuſior atque amplior eſt, quam cuius ratio tam anguſtis chartulis explicari poſſit: ac proinde viſum eſt eas ſolum figuras ſignare. quæ non ſolum ad ornãdam, verumetiam augendam amplificandámque orationem attinent, alio, loco noſtram de hoc argumenti genere ſentẽtiam interpoſituri. Ducitur autem amplificandi ratio ex omnibus argumentorum locis, quos ſuprà tradidi. Eos autem hic repetere aut explicare exemplis nihil attinet. Vſus tantum adhibendus, & mediocris quædam prudentia, vt diſcat iuuentus, vbi orationem illuſtrare locis communibus, vbi copia aut breuitate ludere, rerum naturas augere, vel extenuare, apertè, vel diſſimulanter cauſarum circunſtantias exponere conueniat. & vniuerſa res optimorum authorum, præcipuè Ciceronis imitatione, & rectius, & felicius paratur, quàm rhetoricis præceptis, quorum difficultas nimiáque ſubtilitas prima adoleſcentium

ſtudia magno ſæpe incommodo remoratur.

Fab. 8. cap. 4. Eſt igitur prima amplificandi, vel minuendi ſpecies, in ipſis rerum nominibus poſita. Nam ἄυξησις eſt, cum pro ſeceſſione ſcelus, pro improbo latronē, *Auxeſis.* pro homicida parricidam, pro calumniatore graſſatorem dicimus.

Diminu Ταπείνωσις ſeu μείωσις, id eſt diminutio, cum eum qui pulſauit, attigiſſe: qui læſit, vulneraſſe: qui furit, errare dicimus. Vtriuſque pariter exemplum eſt pro M. Cælio. Si vidua liberè, proterua petulāter, diues effuſè, libidinoſa meretricio more viũeret, adulterum ego putarem, ſi quis hanc paulo liberius ſalutaſſet? Refertur huc color, quem in præceptis exordiis τὸ χρῶμα appellari diximus. magnam enim vim habet vel ad extenuandam, vel diſſimulandam rei fœditatem. Quintilianus hoc genus increſcere putat, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus, pro quibus ea poſituri ſumus, conferantur, vt Cicero in Verrem: Non enim furem, ſed raptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionúmque: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorū-

que in veſtrum iudicium adduximus. Sed hanc figuram correctionem vocãt, vt in Philip. 2. Stuporem hominis vel potius pecudis quæſo attendite. In Piſc-nem, Non cõſules, ſed mercatores prouinciarum, ac venditores veſtræ dignitatis: non conſules, ſed latrones, &c.

Eſt autem correctio ἐπανόρθωσις, quæ ſublato eo quod dictũ eſt, aliud magis idoneum in eius locum ſupponit, vt in priore exemplo. *Correctio*

Cognata eſt huic figura quæ Græcis ἀφορισμὸς dicitur, ſpecies correctionis: nam ſententiæ temerè prolatæ vim corrigit. Cicero, Quanquam illa non pœna ſed prohibitio ſceleris fuit. Et pro Cluẽtio, Nam Saſſia mater hui⁹ Habiti, mater, enim à me nominiscauſa, tamet ſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate eſt, mater inquam appellabitur. *Aphoriſmos.*

Sed amplificatio frequentiſſimè componitur ex { Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Synonymia. *Amplificationis partes.*

Incrementum, eſt quo per gradus, ab infimis ad ſummum venitur. Tale eſt Ciceronis act. 5. in Verrem, Facinus eſt vincire ciuẽ Ro. propè ſcel⁹ verberare, *Incremẽtum*

parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Et in oratione ad Quirites: Mihi quod potuit vis & iniuria, & ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, diſſipauit. Ego faces iā accenſas ad huius vrbis incendium cōprehendi, protuli, extinxi. Eſt autem proprium incrementi, vt oratio eo creſcat, nam vitioſum eſt cum ordo, non exurgit. Tale deprehendimus in Ciceronis inuectiua.3 in Catil. Quæ omnia, inquit, quoniam in Senatu illuſtrata, patefacta, comperta ſunt per me, &c. Prius enim erat, quod extremum poſuit.

Comparatio. Comparatio maximam vim reb⁹ augendis adfert. Collationibus enim res omnes creſcunt. Loci eius inter argumenta ſuprà nobis ſunt enumerati, & tota ferè Ciceronis oratio in Piſonem eiuſmodi collationibus amplificatur.

Raciocinatio. Ratiocinatio eſt, qua aliud ex alio colligitur. Cicero enim collecturus, quantum meri Antonius bibiſſet, quod nullo concoquere poſſet modo: Tu iſtis, inquit, faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in populi Ro. conſpectu, vomere poſtridie. Cui eodē

in loco ſubiungit aliam amplificationem per comparationem. Si inter cœnam, inquit, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? in cœtu verò populi Ro. negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal impleuit.

Συνωνυμία, id eſt, nominis communio, ſiue interpretatio, cùm rei dignitatem ac magnitudinem ſynonymis circũſcribimus, quaſi non ſatis vno verbo demonſtraturi. Tale eſt illud Ciceronis pro Quint. Ligario: Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus, in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Et illud Cicer. in offic. Fallere ciuem non viri eſt boni, ſed verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. Et hoc pro P. Sylla, Si initum eſt conſilium inflammandæ ciuitatis, huius extinguendi imperij, delendæ vrbis, &c. In Catil. Non feram, non patiar, non ſinam. *Synonymia*

Congeries, quæ Συναθροισμὸς Græcis *cõgeries.*

vocatur, fit quando plures ſpecies congeruntur, Terent in Andria:

Sic vita erat facilè omnes perferre ac pati. cum quibus erat, cúmque vna his ſeſe dedere,

Eorũ obſequi ſtudiis, aduerſus nemini, Nunquam præponens ſe illis, ita, vt facillimè Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Cicero in libidinem Saſſiæ: Mater Habiti ita flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, vt eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, nõ filij dolor, non filiæ mœror à cupiditate auocaret.

Expolitio. Expolitio, vtrique cognata eſt: eandē enim ſententiam mutatis nonnihil verbis explicat. vt ſi dicas, hominis cauſa hominem quiduis honeſtè & liberaliter facere oportere, propterea quòd ea lege nati ſimus: eáq; habeamus naturæ principia, quibus & parere debeamus, & humanæ ſeruire ſocietati, noſtráque ſtudia priuata, rationibus publicis prouehendis condonare, ac noſtram etiam vtilitatem communem facere, nec fas eſſe hominem quicquam humani à ſe alienum putare, ſed omnia in commune referēda emolumentum, omnia hominis

çauſa facienda eſſe. Vniuerſum Lucani exordium expolitione eſt amplificatũ.

Gradatio, κλίμαξ, ſi rarius vſurpetur, non ſua caret gratia: repetit enim proximum verbum per gradus ad alia deſcendẽs, eóque non diſſimilis ſoriti, quã argumentationem eſſe oſtendimus. Eſt autem gradatio apud Iacobum apoſtolum: Tentatio parit concupiſcentiam, concupiſcentia peccatum, peccatum autem mortem gignit. Erudita & illa, Aphricano virtutem induſtria, virtus gloria æmulos peperit. *Gradatio.*

Αἰτιολογία, cauſa & prioris ſenſus ſubiecta ratio. Cicero actione. 5. in Verrem, cum diceret magni eſſe negotij alium ad iudicium Reipu. cauſa vocare, addit cauſam: Legem enim ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutúmque omnium, qui ab altero rationẽ vitæ repoſcunt. Pro P. Sylla, probaturus omnes, qui reo ſuffragentur & adſint, defendere videri, ſubiungens rationem: Non enim, inquit, vna eſt ratio defenſionis ea, quæ poſita eſt in oratione. Omnes qui adſunt, qui laborãt, qui ſaluum volunt, pro ſua parte atque authoritate defendunt. *Aetiologia.*

Αναγκαῖον à P. Rutilio Lupo ponitur, *ἀναγκαῖον.*

cuius pulcherrimus in accuſationibus & defenſionibus eſt vſus, cum naturæ, temporis, ac loci, cæterarúmque circunſtantiarum, neceſſitudinem cauſamur. Prioris exemplum eſt: Nihil valui aut gratia, aut diligentia, aut miſericordia pro reo deprecatione, cum iudex tyrannus immani ſua crudelitate, humanæ ſortis ſenſum omnem exuiſſet. Poſterioris eſt apud Liuium, lib. belli Punici. 2. in concione Hannibalis Pœnos adhortantis, vt magno animo in omnem dimicationem incumbant, vt qui à tergo Alpibus, à latere duobus maribus incluſi, nullum perfugiũ ſperare poſſint, eóque neceſſe eſſe, forti ſint animo, quibus nulla dalentur aufugia: Romanis contrà timidis eſſe licere, quos effugiũ ad deſperationem inuitet. Item, Cũm ſine literarum cognitione hominis vita bruta ſit, & inhumana, neceſſe igitur eſſe literarum ſtudium omnibus proponi. Sũt qui hoc ſchema διάνοιαν, καὶ δικαιολογίαν appellant.

Trãſlatio. Μετάστασις, tranſlatio eſt rei in locum digniorem ac veluti hóneſtiorem prætextum: vt ſi auar' illiberalitatis ac ſordidium ſuſpicionem à ſe depulſurus, dicat, non quæſtum ſe ſpectare, ſed ratio-

nem

nem ſe habere rei familiaris, ne in tanta liberorum copia, rem domeſticam labi ſinere flagitioſum ſit, & Reipub quæ ciuium fortunis cõſeruatur pernicioſum. Apud Liuium Tullus rex Albanorum defectionem ac perfidiam in Merium itineris ductorem coniicit. Demoſthenes quoq; in propugnatione Cteſiphõtis, Phocenſis belli calamitatem in fortunam transfert.

Ἀντίθεσις contentio eſt, contrarium, ſiue contrapoſitum, qua oratio per contraria amplificatur. ſchema iucundum & vſitatum in varieganda oratione. Fit autem multis modis, quos iuuentus in lectione oratoria obſeruabit. Pro Murena: Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificẽtiam diligit. Et, Inimicis placabilem, amicis inexorabilem te præbes. in Catil. Honeſtè viuere cum non poſſint, perire turpiter malunt. *Contẽtio.*

Ἀντιμεταβολή, commutatio, ſententiam per contrarium inuertens dicitur, vt, Eſſe oportet vt viuas, non viuere vt edas. Cicero in officiis: Nõ quod vtile, idem honeſtum eſt: ſed quod honeſtum, id valde vtile eſt. Præclara eſt illa apud Ariſtotelem: Beati quorum fortunæ ſa- *Commutatio.*

pientia, & quorum ſapientiæ fortuna ſuppeditat.

Inuerſio. Inuerſio, notiſſima eſt figura. Terentius in prologo Adelphorum:

Nam quod iſti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, aſſiduéque vnà ſcribere:
Quod illi maledictum, vehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam.

Communicatio. Συνοικείωσις, id eſt, communicatio, res contrarias colligans: Seneca. Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Labor eſt ipſa voluptas. Nam, vt *Muſonij ſententia inſignis.* Muſonius ſcribit, ſi per laborem honeſti quippiam egeris, labor abit, honeſtũ manet: ſi per voluptatem turpe quippiã feceris, voluptas abit, turpitudo manet.

Reiectio. Ἀποδίωξις, reiectio, cum aliquid eludimus, tanquam indignum, aut intempeſtiuum. Schema artificioſum, & ad ſubuertendam aduerſarij actionem accommodatum. Pleraque enim argumenta, quæ dilui, vel agitari, ſine gratia, vel ſuſpicione non poſſunt, reiiciuntur. Quemadmodum Cicero cauſas ſimultatum Milonis & Clodij reiecit. Et pro Cælio Equitis, inquit. Romani eſſe filium criminis loco poni ab accuſatoribus, neq;

his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis.

Προκατάληψις occupatio ſiue præſumptio, quam & πρόληψιν vocant, cum tacitam obiectionẽ prius diluim⁹, quàm obiici poſſit. neceſſaria in omni cauſa figura, & plena prudentiæ. Admonet enim diligenter animo complectendum eſſe, quæ hominum iudicia, qui animorum ſenſus, quò audientium voluntas atque affectus inclinent: quæ omnia magnam æſtimandi copiam præbent. Vtitur hoc ſchemate omnibus in cauſis Cicero, ſed frequentius exordio accommodatur, vt in diuinatione: Si quis veſtrum, &c. *Occupatio.*

Παραμολογία, conceſſio ſiue confeſſio, qua aduerſario quædam permittimus, vt reliqua vehementius inuadi poſſint. Pro Roſcio: Eſto cauſam proferre non potes, tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de iure meo diſcedam, fretus huius innocentia. Eſto fueris inimicus, occidere tamen nulla iniuria prouocatus nõ debebas. *Cõceſsio.*

Παραδιαστολὴ magnam cum hac habet cognationem. Condonat enim aliquid, vt vicinum quiddam deroget. Lætus ſum, ſed tamen non petulans. Liberalis παραδιαστολὴ

eſt, prodigus non eſt. Eruditionis gloria obſcurari poteſt, præripi aut extingui non poteſt. Clemens ſum, non diſſolutus.

Ἀντιπο-φορά Ἀντιποφορὰ καὶ Ἀνθυπαγωγὴ, reſpondendi ſunt formę, & creberrimę in orationibus, cum obiectionem aduerſarij, firmiore argumento retorquemus. Libertatis periculo ducitur vxor, ſed eſt neceſſaria illa vitæ coniunctio ad ſobolē procreandam. Pulchrum regnare, ſed periculoſum. Præſtat enim, inquit Brutus, nemini imperare, quàm alicui inſeruire. Sine illo viuere honeſtè licet, cum hoc viuendi conditio nulla eſt.

Bruti ſētentia.

ὁρισμός Ορισμὸς finitio quædam. Non ſeceſſio fuit, ſed ſcelus: non error, ſed perfidia: quando imperatorem, cuius opibus ſis auctus, deſerere & ſuis illum hoſtibus prodere impunè nemini permittitur.

Imago. ὑποτύπωσις quæ & ἐνάργεια, Latinis ſuffiguratio & imago appellatur, ex priore ſchemate naſcitur, poëtis & hiſtoriographis admodum familiaris. Nam & rerum ſimulacra verbis depingit, & audientes in rem pręſentem adducit. Multa eius exempla ſunt paſſim. Venuſtiſſimum eſt illud, M. Cælij in Antonium: Nanque ipſum offendunt temulento

ſopore profligatũ,totis præcordiis ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare, præclaráſque contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim, quæ tamen exanimatæ terrore hoſtium aduentu percepto excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtrà ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurem inuocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat, quarum omnium vocem tactúmque noſcitabat, proximę cujuſque collum amplexu tenebat, nec dormire excitatus nec vigilare ebrius poterat, ſed ſemi ſomno-ſopore inter manus cẽturionum concubinarúmque iactabatur.

Μεϱισμὸς, diſtributio toti' in partes, cuius inter argumenta fecimus mentionẽ. *Diſtributio.* Vniuerſa vitæ communitas conuellitur, fidei religio à Turcis expugnatur, labęfactatur ciuili diſſidio concordia, vis affertur inermi, æquatio fortunæ imponitur, expugnatur virginum pudicitia, rapiuntur ad ſtuprum atque ludibrium matronæ, negligitur parentum pietas, coli vitæ ſocietas amplius iam non poteſt. Tota exordij pars in Piſonem, hac figura eſt amplificata. Et pro Milone:

Omnia non modo quæ reprehendi palam,ſed etiam obſcurè cogitari poſſunt timemus:rumorem,fabulam fictam,falſam perhorreſcimus,ora omnium atque oculos intuemur.

Proſopopœia. Προσωποποιία.perſonæ fictio, quam ſuprà retulimus.

Sermocinatio. Διαλογισμὸς ſermocinatio, cũ alicui perſonę ſermo attribuitur. Cicero pro Pub. Quintio : De re pecuniaria cupio contendere, non licet. At ea controuerſia eſt , nihil ad me attinet : cauſam capitis dicas oportet. Accuſa vbi ita neceſſe eſt. Non , inquit , niſi tu ante nouo modo priore loco dixeris. Pro Pub. Sylla : Ita, inquit,tu enim inueſtigaſti, tu patefeciſti coniurationem.

Tranſitio. Tranſitio, qua monem' quid dictum ſit & quid reſtet, qualis eſt illa Ciceronis in oratione pro lege Manilia, Quoniam de genere belli dixi , nunc de magnitudine pauca dicam.

Parenthesis. Παρένθεσις,breuis interpoſitio vt,

Tam Venus otia amat,finem qui quęris amori.

(Cædat amor rebus) res age , tutus eris.

DE LOCIS COMMVNIBVS.

Ad locupletandam exaggerandamque orationem ſuprà indicauimus cómodatiſſimos eſſe locos communes, id eſt ingenuarum artium fontes, ceu quædam virtutum vitiorúmque formulæ: quorum alij vehementem cum amplificatione increpationem habent, veluti in parricidam, in ſacrilegum, in proditorem. Alij verò deprecatione aut commiſeratione conſtant, cum humanæ vitæ conditionem, miſeram fatorum neceſſitatem, fortunæ acerbitatem deploramus. Quidam etiam diſputationis cauſa aſſumuntur, veluti de virtute, de honoribus, de æquo & bono, de magiſtratibus: quorum omnium vim atque artem, perfecta rerum ac diſciplinarum cognitio ſuppenditabit. *Loci cōmunes.* *Locorum communium vis atque diuiſio.*

DE GENERIBVS SENTENTIARVM.

Sententias Quintilianus orationis lumina & veluti oculos quoſdam eloquentiæ eſſe credit. Illuſtrant enim elocutionis venuſtatem, & ipſam illam *Sentētiæ.*

ſimplicem, planam, humilem & ſine conatu profluentem dicendi rationem grata quadam voluptate exornant. quarum ornamenta quoniam in Demoſthenis oratione frequentius elucent, creditur eius eloquentia maximè laudabilis. Nullus enim locus, qui non aliqua ſententię cõformatione illuminetur, ab illo dicitur. Sed vſus earum opportunus & modicus eſſe debet, vt tãquam gemma in auro, ſic opportuna ſententia in oratione eluceat, quæ ſi crebrior ſit & omnibus clauſulis addita, conciſam facit orationem, & ſtructura carentem: nec ſplẽdoris admirationem conſequitur, & ſuam etiam gratiam perdit. Eſt autem ſententia quæ γνώμη Græcis vocatur, egregium dictum ad vitæ inſtitutum pertinens, vt illa Antiſthenis: Regium eſt audire malè, cum feceris benè. Et Theophraſti: PRECIOSISSIMVS SVMPTVS EST TEMPVS. Periandri, Infortunium celãdum, ne voluptate afficias inimicos. Lapis auri iudex, aurum hominis. Quintilianꝰ multa eius facit genera. Sed ducitur à virtutum officiis, genere, fortuna, rerum euentu. Eſtque ſententia locus quidam communis, vel initium, vel clauſula epi-

Demoſthenis eloquentia laudabilis.

Sẽtentia quid.

Sentẽtiæ vnde ducantur.

cherematis, aut enthymematis, vt: Nulla re propius ad deos accedimus, quàm ſalutem hominibus dando. Cæſar igitur deus immortalis habendus. Hunc quoque locum ad pronunciata referri diximus. Nam interim ſententiæ ornandæ orationis, interim fidei faciendæ gratia aſſumuntur. Sunt autem pulcherrimæ, quæ integræ ſunt, & pigmentis fucóq; illo puerili carent.

Ἐπιφώνημα dictę ſententiæ acclamatio eſt, ad augendam admirationem, vt pro M. Marcello: Tantus eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilij dignitas, vt hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur. In Piſonem: Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna maieſtas conſulis. Liuius: Et facere & pati fortia Romanum eſt. Et Cicero poſt grauem fortunę, infeſtíque caſus querelam ſic acclamat. O miſera vitæ ratio, quæ tam diu reſides in voluptate, quàm diu fortunæ poſcit libido. Profertur enim nonnunquam per exclamationem. *Epiphonema.*

Νόημα ſententiam non extollit, ſed adeã aut locum aliquem communem alluſio eſt, vt Beneficium dando accepit, qui *Noema.*

digno dedit. Nam vt præclarè ſcribit Ennius, Benefacta malè collocata, malefacta arbitror.

Addunt his clauſulam quæ ad concluſionis finem pertinet, vt pro Ligario: Quare prius de facto veſtro fateamini neceſſe eſt, quàm Ligarij culpam vllam reprehendatis. Profuerit autem magnopere omnibus his adhibere, libros D. Eraſmi de verbòrum & rerum copia.

Eraſmi libri de verb. & rer. cop. vtiliſsimi.

Breuiſſimum hoc ſit de ornatu præceptum, vt quoniam dictionis ornatus & ſtyli gloria perennis ſit, omni ſeculorum memoria victura, in hoc plurimum impendamus operæ, vt oratio pro ipſo materiæ genere ſit grauis, erudita, liberalis, polita, admirabilis, colorum varietate, figurarum ſplendore, ſententiarum lumine illuſtrata: quas orationionis virtutes cum præceptionibus, tum imitatione, vſu etiam, qui doctrinam confirmat, & ſtudio facilè conſequemur.

Duæ eloquentiæ partes.

Abſoluimus ferè, vt potuimus duas elocutionis partes, perſpicuitatem & ornatum. vtraque communis eſt, & ſimplici, & coniunctæ elocutioni: ſed quia hanc diximus collocatione conſtare, referemus pauca quædam collocationis

præcepta.

DE COMPOSITIONE.

Compoſitionis eſt verba ſic collocare,vt ipſa verborum concinnitas orbem ſuum conficiat,comprehenſio numeroſa cadat,ne vel aſper eorum concurſus, aut vaſtè contextus, aut inconditè fuſus,voces hiulcas & aſperas reddat: ſed tota oratio coniuncta,cohærens, honeſtè cadens,acriter inſequens,& æquabiliter fluens,cum gratiam, tunc delectationem mereatur. Huius non leuis vis eſt, cum ad animorum motus excitandos,tum verò ad vniuerſam cauſam delectatione,ſuauitate, atque decore illuſtrandam. Nihil enim perinde cognatum humanis ſenſibus eſt,atque numeri & voces:quibus & excitamur, & langueſcimus, & ad iucunditatem, & ad commiſerationem ducimur. Cum enim molliores illæ & delicatæ in cantu flexiones arte quadam expreſſæ, audientium animos non ſolum voluptate ſingulari demulceant, ſed ſine ſacietate delectent: quanto admirabilius & ſuauius illa humanæ vocis harmonia conſenſióque audientium ſenſus afficit, & in quencumque

Compoſitio.

Vtilitas compoſitionis.

affectum impellit? Mihi ſanè nulla tam ſuauis muſica videtur quam orationis compoſitio,&condecentia aptis numeris contexta. Commemoratur Penelope,vt abſentis coniugis fidem atque matrimonij ſacramentum,animi innocentia ac vitæ conſeruaret religione, obrepentes voluptatum illecebras , citharæ ſono cantúſque dulcedine domuiſſe. Pythagoreis quoq; moris fuiſſe Quintilianus refert,vt cum euigilaſſent , ani-anium ad res agendas lyra excitarent: eadémque ſub noctem mentes rerum negotiorúmque contentione defatigatas ad tranquillitatem componerent. Quòd ſi tanta vis harmoniæ & modis ineſt, non poteſt nõ maximam vim habere vel ad concitandos , vel ad leniendos affectus , oratio modis ac numeris vincta.Cum igitur ſolennibus epulis,ac rebus etiam ineptioribus fides ac tibiæ abhibeantur, nihil autem ſit humana oratione aut pręſtabilius aut admirabilius , aut etiam iucundius , efficiendum longa animi prouiſione , ne illa infracta,amputata & ſoluta fluat,ne erret, ne inæqualibus inſiſtat interſpirationibus ſed membris diſtinguatur,& conuerſiones habeat abſolutas. Nam & Cicero

Penelope

Pythagorei.

eam demum eloquentiam admirabilem eſſe dicit, quæ ipſa oratione quendam quaſi numerum verſumque comprehēſum habeat. *Eloquētia admirabilis quæ ſit.*

Conſtat autem omnis compoſitio. { Ordine. Iunctura. Numero.

Ordo verborum ſententiarúmq; iuſtus, & apta iunctura, vniuerſæ compoſitionis eſt fundamentum. Eius obſeruatio eſt in verbis ſingulis & ſententiis. In verbis cauemus, ne decreſcat oratio: vt ſi dicas, Patrem infelicem interemit, domo eiecit, eiectum probris & contumeliis proſecutus eſt. Debent enim omnia creſcere & augeri, quæ rebus illuſtrandis exaggerandíſque adhibentur. Deinde vt ſenſum verbo (ſi compoſitio patiatur) claudamus. Poſtremò amphiboliam vitemus. Sententiarum ordinem ſignauimus, cum οἰκονομίας præcepta traderemus.

Iunctura eſt in verbis, inciſis, membris, periodis. Inciſum Grecis κόμμα dicitur, id eſt ſenſus vnicus non completo numero concluſus, ſiue pes membri, vt obſequium amicos, vt eruditio. *Iūctura.*

Fab. lib. 9. cap. 4. Membrum, κῶλον, eſt integra ſententia, ſed à toto corpore abrupta vt obſequiũ amicos, veritas odium parit. vt Eruditio iuuenibus ſobrietas eſt, ſenibus ſolatiũ, pauperibus diuitiæ, diuitibus ornamentum. Addat his qui volet alia exempla. Περιοδὸς ſeu latinè ambitus, circuitus, comprehenſio, continuatio, circunductio plures ſententias colligit, eáſque concludit. Habet enim membra minimùm duo: ſæpe quatuor, interim etiam plura. Sed apta magnarum cauſarum initiis, amplificationibus, & epilogis. Habes vbique ferè apud Ciceronem periodi exemplum, in oratione pro P. Quintio, pro lege Manilia, pro Milone, pro Cluentio, pro Archia poëta, pro A. Cecinna. &c.

Quæ in iunctura vitanda erunt. In iunctura vitabimus earum vocalium, quæ cauo ore proferuntur concurſus, ne ex iis hiatus & abruptæ interſpirationes gignantur: duriores etiam conſonantes, ne S vltima, cum X. proxima ponatur, néue ſyllabæ verbi præcedentis vltimæ, ſint ſimiles primæ ſequentis. Poſtremò ne ſimiliter cadentia & deſinentia crebrò coëant: néue literarum vaſtitas, aut quadrandę orationis induſtria, carminíſque ſeruitus depre-

hendatur.

Numerus eſt quędam vocum dimē-ſio, qua oratio componitur. Fit enim ſępe, vt nobis non ſentientibus verſus excidant: & nihil eſt proſa ſcriptum, quod non redigi in quoddam verſiculorum gen⁹ poſſit. Sequitur enim oratio quocunque duxerimus: & tanquam cera in quamcunque formam, pro voluntatis noſtrę arbitrio, fingitur atque formatur. Quare ad numerorum legem multa exercitatione & ſtylo formanda nobis oratio eſt. Adhibendum etiam conſilium, quādo fuſa verborum conuerſione, quando minutioribus conſtricta membris oratione vtendum ſit. *Numerus.* *Cir. 3. de Orat.*

Sunt autem hi numeri.

Horum ſinguli ſyllabis conſtant binis.
- Spondęus — —
- Pyrrichius ∪ ∪
- Iambus ∪ —
- Trochęus — ∪

Hi octo, ſyllabis conſtātibus.	Dactylus	— ∪ ∪
	Anapæſtus	∪ ∪ —
	Amphimacrus	— ∪ —
	Amphibrachus	∪ — ∪
	Bacchius	∪ — —
	Palimbacchius	— — ∪
	Tribrachus	∪ ∪ ∪
	Moloſſus	— — —

Horum pedum quò quique temporibus ſunt pleniores, longíſque ſyllabis magis ſtabiles, hoc grauiorem faciunt orationem: breues verò celerem ac mobilem.

Hi cōſtāt ſyllabis quatuor.	Proceleumaticus	∪ ∪ ∪ ∪
	Pæon primus	— ∪ ∪ ∪
	Secundus	∪ — ∪ ∪
	Tertius	∪ ∪ — ∪
	Quartus	∪ ∪ ∪ —
	Epitritus primus	∪ — — —
	Secundus	— ∪ — —
	Tertius	— — ∪ —
	Quartus	— — — ∪
	Diambus	∪ — ∪ —
	Ditrochæus	— ∪ — ∪
	Diſpondæus	— — — —
	Choriambus	— ∪ ∪ —
	Ionicus à minore	∪ ∪ — —
	Ionicus à maiore	— — ∪ ∪

DE INITIO.

Initiis attribuuntur.

- Creticus —υ— Cicero de reditu, Quod precatus à diis. frequenter hic initiis conuenit.
- Anapæſtus υ υ— Animaduerti iudices. pro A. Cluentio & in paradoxis.
- Pæones. Quod erat optā-dum, in Verrem. &, Venio nunc, &, Credo ego vos Iudices. Pro Sexto Roſcio.
- Spondæi. Quæ res in ciuitate, pro P. Quintio. Si quantum in agris, pro Ceeinna.
- Dactylus — υ υ
- Epitritus. Eſt hoc in more poſitum, de lege Agrar. Si quid eſt in me. pro Archi.
- Iamborum vſus maximus eſt in inuectiuis, nam inſignes numerorũ percuſſiones reddunt.

Fabius Quintilianus putat optimè incipi à longis, & rectè aliquando à bre-

uibus, vt. Nouum crimen, pro Quint. Ligario.

DE MEDIA SENTENTIA.

Mediis ſententiis ferè attribuuntur. { Epitritus. Dactylus. Spondæus. Ditrochæus.

Sunt autem breuibus miſcendæ ſyllabæ longæ, vt ipſa verborum aptior & venuſtior exprimatur collocatio.

DE FINE ORATIONIS.

In fine probãt maximè. { Ditrochæos, vt cõprobauit. Epitritos, vt redũdarũt, videbatur. Bacchium, vt probarunt. Moloſſum vt, cõiunctis. Amphibrachum, vt ſinamus.

In quibus indicatur numerorum perfectio.

Cicero clauſulas diligẽtius, quàm ſuperiora ſeruari iubet: quòd in iis numerorũ perfectio atq; abſolutio iudicetur. In prima enim orõnis parte multa non diligẽter excipi putat: in poſtrema verò

omnia intelligi, omnia iudicari, eóque varia collocatione omnia varianda eſſe, ne aut animorum iudicio repudientur, aut aurium ſacietate. *Numeri generis demonſtratiui.*

Porro cũ genera cauſarum ſint diuerſa, diſſimilem quoque componendi rationem deſiderant. Neque enim ſemper iudices concitamus, aut affectuũ incendimus facibus, nonnunquam miſerabiles, modeſtos, lenes, miſericordes, eſſe voluimus. Ideóque Cicero in diuerſis orationibus diuerſis numeris vſus deprehenditur. Genus quoque demonſtratiuum fuſiores liberioréſque habet numeros: ſolutum & affluens cum verbis tum ſententiis: pompæ tamen magis, quam contentioni aptum. Et varios pro materia numeros ſortiuntur deliberatiuum & iudiciale genus. Aliud item conſolatio, aliud ſermones, aliud diſputationes, aliud hiſtoria, quæ lubrica eſt & fluit. aliud item philoſophia, quæ verbis popularibus inſtructa, nihil iratũ, nihil atrox, nihil aſtutum aut inuidiũ habet, dicendi genus deſiderat: neque idem ſenatui, populo, iudicib⁹, & cõcionibus cõuenit: & qua ſit ætate, honore, authoritate ipſe ille qui dicit magnopere refert. Nec orationis genera ſolũ, ſed etiã *Vtilis præceptio.*

partes diuerſam habent compoſitionē. Nam exordia ferè ſunt verecunda, & ſententiis quam verbis intenſiora, vel ad offenſionem aduerſarii, vel oratoris cōmendationē. Narratio hiſtorico & quotidiano ferè explicatur ſermone: contentio in paruis exiliori, in magnis ampla & vehementi oratione funditur, nūc regens, nunc flectens, & in quamcunque voluntatem auditorum animos rapiēs. Atque hoc in cauſa fuiſſe opinor, quòd Rhetores diuerſas dicendi formas fecerint.

DE TRIBVS GENERIBVS DICENDI.

Dicendi genera. Eſſe autem diuerſa dicendi genera, Græci χαρακτῆρας vocant, indicio eſt, quod ex tot artium ſcriptoribus, quos priora ſecula tulerunt, nullus fere alteri ſimilis eſt, ſuúmque ſtylum quiſque & dicendi rationem ſecutus videtur. Nam Aſiani exuperantius quoddam & verboſius: Attici ſimplicius & elegantis orationis filum contexuerūt. Nec maior ferè formarū, quàm characteris inter ſcriptores eſt varietas. Sed dicendi genera tria potiſſimùm animaduerſa

ſunt grande, mediocre & humile.

Grande & robuſtum dicendi genus, magno eloquentię curſu ſonitúque fertur, cauſis grauioribus accommodatum: habet enim crebras metaphoras, verborum maieſtatem, graues ſententias, varias & copioſas ad conuertendos animos, omniáque ea amplificandi ornamenta, quæ paulo antè commonſtrauimus: & frequẽter excurrit in locos communes, in tragicos quoſdam affectus: modò enim perfringit, modò irrepit, nouas opiniones inferens, inſitas & receptas euellens. Vſus eo Cicero in oratione pro Sylla, pro Milone, in Verrẽ, in Piſonem. Sed huius ſtudioſi ſæpe in vitia incidũt, nam dum grandes in ſcribendo videri cupiunt, fiunt turgidi & inflati. *Robuſtũ dicendi genus.*

Humile genus ſermonis cũ proprietatem, tum ſimplicitatem verecunde cuſtodit, nullis vel metaphoris procul acceſſitis, vel crebrioribus figuris excurſionibúſque exuperans: omnia enim dilucidiora, nõ ampliora ſubtili & preſſa oratione facit. quod qui immodicè affectant, horrìdi fiunt àtque ieiuni. Vtitur eo in philoſophicis diſputationibus Cicero, Terentius & Plautus in ſuis comœdiis. *Humile dicendi genus.*

Temperatū dicendi genus. Mediocre, temperatum ſiue æquabile dicendi genus, admodum grandi eſt vicinum:iiſdem ferè figuris abundat, ſed in affectibus & amplificationibus paululum ſubſidet, minúſque exurgit,nihil præter facultatem adferens & æqualitatatem. Vſus eo Cicero in oratione pro lege Manilia,pro A. Cecinna,& in libris officiorum. in hoc vitioſi ſunt tumidi & ſupini.

Imitatio neceſſaria. Vſu rerum didici,ſine exemplo,imitatione optimorum authorum, quorum lectio multa exercitatione & comparāda & exprimenda nobis erit, præceptiones ad confirmandam orationis excellentem gratiam atque venuſtatem nudas propè ac infirmas eſſe:ſed tamē ſine illis orationis virtutes,quæ ſæpe latent, authorum conſilia,rerúmque amplitudine nec intelligi rectè, nec certam eorum imitationem proponi poſſe. Adhibenda igitur mediocris quædam ſicut reliquis ita & collocationis præceptis perdicendis diligentia: vt ijs informati,Ciceronis aliorúmq; ſcripta rectius intelligamus. Neque enim ita acrem curam poſcunt, vt illa poëtarum compoſitio, quos neceſſitas cogit verſu verba includere: ſed liberius fluit, & ſine vinculis quaſi ipſa

ſibi moderatur.

Habeat igitur compoſitio non ingratam quandam verborum negligentiam, ſi rerum laudabilis ſit & inuentio & collocatio: ſit in faciundis & transferendis vocabulis verecunda, in priſcis figuris ſobria & parca, in trãſlationibus & ſententiis non nimium luxurioſa: ne vel quæſita concinnitas, vel quoddam delectationis aucupium deprehendatur. Ante omnia autem proponenda Ciceronis imitatio, ad cuius legem cum exercitatione, tum ſtylo, qui lucem rebus adfert, noſtra formetur oratio. *Cõpoſitio qualis eſſe debeat.*

DE APTO ET DECORO DICENDI GENERE.

Commõſtratis de ornatu locis, reliquę penſi ac muneris noſtri partes erunt, vt pauca quædam de apto & decoro dicendi genere, elocutionis virtute lõgè pulcherrima dicamus. Nam cum in tota vita conſtituenda nobis ſit atque deligenda honeſta & cõdecens officiorũ ratio, vt quæ agamus cum decoro, honeſtate, ac Reip. dignitate cõiũcta eſſe videãtur: neue affectibus implicati à naturæ ſtatu deceſſiſſe, aut vllo in officio claudicaſſe *Aptũ dicendi genus.* *Quæ vtilitas ex apto dicẽdi genere petatur.*

videamur: tum autem in elocutione quę τοῦ βίου εἴδωλον Democrito dicitur, quòd animi imaginē repræſentet, maior quædam cura adhibēda eſt. PROFERT ENIM mores oratio & naturæ ἕξιν arguit: quæ ſi tumultuoſa, minax, iracunda, perplexa, plena iræ & contentionis fuerit, corrumpit omnē dicendi gratiam, & vim rerum in contrarium vertit. Nam qui moderatè nihil dicere poteſt, omnia clamore conturbans, is apud ſanos furere, apud ſobrios bacchari videtur. Præcipuam igitur virtutis opinionē ac ingenij laudem dicenti adferunt orationis MODESTIA, FACILITAS, MODERATIO, beneuolentia, ſcelerum vltio Reipublicæ cauſa ſuſcepta. Quòd autem oratio perſonis, cauſis, loco, tempori, & rebus accōmodari debeat, repetendum hic mihi, cum paulo antè commonſtrauerim, nō puto. Eſt enim mediocris omni in re facere, quod decorum ſit artis. Sed quid quolibet in loco, & apud quos & quomodo, & quo tempore deceat ſcire, hoc verò magnæ eſſe prudentiæ & perfectæ cumulatæque virtutis. Ariſtoteles in rhetoricis ad Theodectem ſcriptum reliquit. Complectatur igitur animo ora-

Quæ nā adferant præcipuā virtutis opinionē & ingenij laudē.

tor, & circunſpiciat quàm grauem perſonam in ciuilium rerum adminiſtratione ſuſtineat, ne quid ineptè & præter decorum aut dicat, aut faciat. OMNE enim eius peccatum, ſtultitiæ, quæ excuſationem non habet, peccatum videtur. Quintilianus ſuum iudiciis, ſuum deliberationibus, ſuum demonſtrationibus, ſuum hiſtoriis, ſuum comicis, ſuum ætatibus & perſonis præſcribit aptum dicendi genus.

Nobis hoc breuiſſimum ſit præceptũ, primum ne popularis auræ gratiolam, ac fallacem illam de nobis opinionem aucupari, tumidi, noſtri iactantes, nimiúmque de ingenij fama anxij videamur: aut cupidi innocentes capitis iudicio arceſſere, & eloquentiæ ad hominũ ſalutem à diis immortalibus conceſſa bona, ad aliorum perniciem atque calamitatem conuertere. Deinde vt honeſtatem præferamus vtilitatis, ab eáque nullo commodo, nullo periculo, nulla calamitate vnquam abducamur. Cum etiam Socrates, & prior ille Aphricanus, Publ. Rutilius, Q. Metellus, cæteríque graui capitis ſui aut periculo, aut exilij fœditate vtilitatem priuatã publicæ anteposuerint honeſtati. Athenienſes ſanè

Cic. of. 2.

Honeſtatem eſſe vtilitati præferẽdam.

Cyrſillum quendam in maximis Reipublicæ motibus vtilia quidem ciuibus, ſed tamen parum honeſta ſuadentem, cum vniuerſa familia lapidibus obruerunt. VIOLATVR enim omnis humanæ vitæ ſocietas ac religio, cum vtilitate expugnatur honeſtas. Nunquã igitur orator, id eſt, vir bonus, ab honeſtate diſcedat. Proximum eſt vt eis, contra quos agimus, aliquid detracturi, vel honoris, vel authoritatis, cætera omnia Ciceronis exemplo concedamus. Nam ſcienter eos lædere, quorum ſequenda erit authoritas, temeritatis: imprudenter, negligentiæ eſt. Quòd ſi ita caſus infeſtus tulerit, vt aduerſus parentes, aut cognatos actio nobis ſit ſuſcipienda, prima erit cura, vt officij noſtri atque neceſſitatis ratio, altè cauſis petitis iudicibus comprobetur: ſeruata in tota actione parentum, aut cognatorum pietate, honore, ac veneratione. Atque omnino hoc agendum, vt noſtra beneficia ac patrocinia nec grauatè ſuſcepta, & innocentiſſimo cuique propoſita & longè patere videantur.

DE MEMORIA QVARTA ORATIONIS PARTE.

Memoria rerum omnium theſauro,

Memoriæ commoda.

mentíſque humanæ ac cognationis cuſtode, omnis diſciplina, omnis dictorum factorúmque ratio, omnis humani ingenij commentatio, ſplendórque eloquentiæ continetur. Eius tam efficax atque admirabilis vis, & quædam veluti diuinitas in brutis, nedũ hominibus cernitur: vt non aliud naturæ munus, vel magnificẽtius, vel vtilius homini à deo Opti. Maxi. ſit conceſſum. PERIT ENIM ac præteruolat diſcendi fructus, optimarúmque rerum ſtudium, niſi memoriæ fide retineatur; eóque græci philoſophi docilitatis partes conſtituentes, ἀγχινοίαν, ὀξύτην, καὶ μνημοσύνην, id eſt mentis agitationem, acrimoniam animi, & memoriam. huic poſtremæ primas ob id attribuerunt, quòd foret τῆς παιδείας ταμεῖον, & vt Quintilianus ſcribit, eloquentiæ theſaurus. Heſiodus quoque Muſarum parentem ac principem dixit Μνημοσύνην, præter quã cætera omnia in tenebris iacere ac ſeneſcere Philoſtratus in vita Apollonii ſcriptum reliquit. Virtus eius eſt duplex, facilè percipere & fideliſſimè retinere: illud humidæ, hoc ſiccæ naturæ beneficio contingere putant. Plato in libro de ſcientia, fœcundam iis memoriam attri-

Memoriæ eloquentiæ theſaur⁹.

Memoriæ virtus duplex.

buit, qui ad iram contentionémque facilius excitantur. Eos verò, qui naturæ modeſtiam ac grauitatem præ ſe ferunt, ſegniores plerunque & obliuioni obnoxios eſſe ſcribit Nec dubium quin naturæ bonitas, primam eius commendationem excellentiámque producat: quæ tamen ipſa vt omnibus ferè in rebus doctrinæ æmulâ, arte confirmatur: ſed præcipuè animi illa tranquillitate, quam ἐυθυμίαν vocant. Obrui enim memoriæ vim ac nonnunquam extingui, quoties violentior quædam perturbatio, confuſior animi pauor, cæteríque affectus concitatiores in eam irrepunt: graues authores Hippocrates, Galenus, & Auicenna tradiderunt. Itaque memoratur Demoſthenes apud Philippũ, Epheſius in concione Areopagi, Herodes Atticus apud M. Antonium, Heraclides Lycius côram Seuero principe, puerili quodam metu debilitatus, ipſo ſtatim orationis exordio excidiſſe. Alij, vt Orbilius grammaticus, Meſſala orator, Hermogenes, ac nuper Trapezuntius ex morbi ſæuitia in eum dimerſi ſunt λήθαργον, vt ſui nominis fuerint obliti. Adeò neceſſarium, ſed ex omnibus maximè fragile naturæ beneficium eſt

ἐυθυμία

Exempla obliuionis

Epiphonema.

memoria: qua tamen ad miraculum vſque prȩſtiterunt Sarmadas Athenienſis, qui ea memoriæ fuit tenacitate, vt quæ ab aliis cõficta eſſent volumina, ea ipſe legentis more repræſentaret. Themiſtocles item, Cyneas Pyrrhi legatus, Cyrus, & Mithrydates res: vt ſcribunt Plinius & Quintilianus. Artem memoriæ à Simonide primum inuentam multis præceptis explicat Cicero. Scribit enim neminem tam acri memoria eſſe, qui non diſpoſitis notatíſque rebus, verborum ac ſententiarũ ordinem melius complectatur: neque quenquam ita hebeti eſſe ingenio, quem locorum & imaginum diſpoſitio, artíſque ipſius exercitatio adiuuare non poſſit. Quod ſanè verum eſſe, vt non inficior, (nam imagines quibus ea quæ memoria affigi volumus, fingendæ erunt) ita potiora quædam iis pæcepta eſſe audacter mihi aſſumo, atque profiteor. Nã & diuiſione diligẽti, & compoſitione apta, & exercitatione, crebra meditatione parta opus eſt. Diuiſio rerum ordinem ac partes ſeparat: eáque ſi numeroſior ſit, iuuatur notatis quibuſdam ſimulacris rerum earum, quas à memoria expoſituri ſumus imaginem animo repræſentantibus. Com-

Memoria qui præſtiterunt.

2. de Orat.

Diuiſio quid faciat.

poſitio certis oratiōis periodis illigata; ſuo quaſi ductu atque ſerie memoriam regit, efficítque vt ipſa rerum collocatio noſtræ ſeſe cogitationi offerat. EXERCITATIO ſola ferè eſt, quæ naturalem memoriæ fœcunditatem vberiore profectu alit, & quadam doctrinæ ratione amplificat. Cui⁹ vſum ex Quintiliani ſententia non ſum grauatus huc aſcribere. Si quis tamen vnam maximā à me artémque memoriæ quærat, exercitatio eſt & labor, multa ediſcere, multa cogitare, & (ſi fieri poteſt) quotidie potentiſſimum eſt. Nihil æque, vel augetūr cura, vel negligētia intercidit. Quare pueri ſtatim, vt præcepi, quàm plurima ediſcant: & quæcunque ætas operā iuuandæ ſtudio memoriȩ dabit, deuoret initio tædium illud & ſcripta & lecta ſæpius reuoluendi, & quaſi eundem cibum remandendi: quod ipſum hoc fieri poteſt leuius, ſi pauca primum & quæ tȩdium non afferant cœperimus ediſcere: tum quotidie adiicere ſingulos verſus, quorum acceſſio labori ſenſum incrementi non adferat, in ſummum ad infinitum vſque perueniat: & poetica prius, tum oratorum: nouiſſimè etiam ſolutiora numeris, & magis ab vſu

Exercitationis commoda.

Lib. cap. 2.

dicendi remota, qualia ſunt iuriſconſultorum. Hactenus ille. Rectè autem Plutarchus in libro περὶ παίδων ἀγωγῆς præcipit, magno ſtudio ac multiplici lectione puerorum memoriam exercendam eſſe. Incumbendum igitur in hanc curam, vt quæcunque ipſo die, vel memoria, vel ſcientia comprehenderimus, ea Pythagoreorum exemplo ſub noctē nobiſcum repetamus: eo modo intelligentiæ libertatem, quæ magnis etiam ingeniis torporem inurit, deuitaturi. *Puerorū memoria exercēda*

DE PRONVNCIATIONE.

Pronunciatio ſiue actio maximam in orationibus vim habet ac poteſtatem. Nihil enim perinde hominum animos vel ad beneuolentiam, vel miſericordiā, vel animorum conſenſionem inuitat, atque comitas illa affabilitáſque ſermonis, cui miſta modeſtiæ grauitas inſit. Nam & vires ſuas perdunt reliquę orationis partes omnes, & langueſcunt affectus: & tota denique oratoris induſtria, laude, admiratione, ſucceſſu denique ſuo excidit, niſi actionis gratia commendetur. Cuius vis & excellens quædam naturę bonitas, quoniam ſola *Pronunciare.*

Demoſthenis iudicium de pronunciatione. ferè in iudiciis dominatur, videtur non iniuria Demoſthenes primas ei partes, ſecundas, ac tertias attribuiſſe. Cernebat enim animo orator ille magnꝰ, homines infantes, & ipſo balbutientis linguæ lubrico inanes ac ieiunos magnum ſæpe eloquentiæ fructum actionis dignitate tuliſſe: & contrà, diſertos pronunciandi deformitate habitos fuiſſe infantes, vt vel inde ſumma pronunciationis vtilitas colligi poſſit.

Actionis partes.

Conſiſtit autem actio omnis in moderatione	Vocis & Corporis.

Vox quanquam naturalis ſit, neque in totum mutari aut fingi poſſit (ſola enim vſurpatio vocis & vſus eſt in nobis) eiꝰ tamen bona, cura iuuari, & negligentia minui videmus. Sed cura impendenda partim benè conſtitutæ corporis valetudini & conſeruandæ, & augendæ, partim exercitio frequenter declamandi. Vt enim cæteræ artes omnes, ita vox *Vox vſu fit ſuauior* quoque vſu fit ſuauior ac firmior. Eſtque eadem vocis, quæ & orationis officiorúmque ratio, vt ſit videlicet emendata, dilucida, ornata, magna, flexibilis, dulcis,

dulcis firma: quibus additur lateris firmitas, & ſpiritus pronunciationi ſuffecturus: vt item conciliet, moueat, perſuadeat. De quibus vniuerſis, quoniam ſuprà quæ neceſſaria videbantur, adnotauimus, non eſt viſum operis huius magnitudine iuuentutem onerare. Sua cuique ineunda naturæ ac vocis ratio, ex qua informandæ actionis conſiliũ haud dubiè rectius, quàm nudis ex præceptis ſumitur.

Geſtus. Corporis geſtu venuſto, virili laterum flexione, excurſione moderata circa ceruicum mollitiã, digitorúmque argutias, omníque motu, & rebus perſonîſque appoſito commendari actionem ob id ſatis conſtare arbitror, quòd lumen illud ac decus oratoriæ artis Demoſthenes, orationem compoſiturus, corporis ſui habitum propoſito ante oculos grandi ſpeculo informare cõſueuit. *Demoſtenis induſtria.* HABET enim magnam voluntatis ſtudiique cõciliationem rectè & cum decore cõformatus corporis motus: quando tacitæ quoque & inanimatæ imagines pictura expreſſæ ſpectantium in ſe animos, affectus, admirationémque conuertunt. Quintilianus ſuos capiti, ſuos oculis, ſuos ſuperciliis, manibus, humeris aſſi-

gnat motus: ídque eò facit diligentius, quòd nihil credat perfectum eſſe, niſi vbi naturæ felicitas doctrinæ ratione exornetur, Cicero decorũ illud quod in omnibus factis,dictis, in corporis denique motu & ſtatu cernitur, in tribus rebus poſitum ſcribit: formoſitate, ordine,& ornatu ad actionem apto. Mihi ciuilibus actionibus inutiles vidẽtur, qui naturæ ſtatum ac vitæ decorum ex præceptis tantum, nulla naturæ conformatione diſcendum exiſtimãt. Debet enim orator ſobrius ac prudens, natura & vſũ quodã callidus eſſe, ciuitatis ſtatuta animo notata habere, omni generis, ætatis, ordinis venas tenere, multorum mentes ſenſúſque deguſtaſſe, nullius denique rei, quæ vitæ ſplendorem actionísque commendat venuſtatem ignarus, aut negligens eſſe. Quare hoc breue eius ſit preceptum. Primum, vt nihil in tota vita agamus, nihil dicamus, nihil meditemur, quod non ſit cum vitæ æquabilitate, morum modeſtia, vultus verecundia, orationis ſuauitate, doctrinæ laude; ingenij gloria: animi quoque innocentia coniunctum. Deinde ſic illam vitæ ciuilis communitatem & quod κατόρθωμα vocant, inter ciues publicè & pri-

Oratorẽ quibus animi dotibus prædi tum eſſe oporteat.

uatim tueamur, vt ne vlla in parte officij, aut decori obſeruatione claudicaſſe videamur, Poſtremò in hanc curam incumbamus, vt excellentium quarundam & ſingularium virtutum opinionem, in quæ vitæ ſplendor & pulchritudo eniteſcit, de nobis cunctis adferamus: hoc modo veram illam & ſolidam eloquentiæ laudem conſecuturi, cuius maieſtate omnia vitæ ac fortunæ ornamenta illuſtrantur.

τέλος.

DIALOGVS QVI FATVM INSCRIBITVR.

A. T. I. C. I. O.

ARGVMENTVM.

Solam vitæ dignitatem, nominisque gloriam expetendam eſſe.

HYMENAEVS. LACHESIS.

HYM. Ad languorem me dedit hæc occurſatio, dum huc illuc perreptando miſerè animi pendens conuiuiũ Muſarum

inueſtigo. Sed éſtne hoc quod video? Sciam ex hac muliercula, ne imprudentia lapſus, turpiter me his dem conuiuã. Mea mulier dic quæſo, ſi fides dignitáſque patitur tua, hoccine Germani doctoris eſt conuiuium? Lach. Dabis hoc vel humanitati, vel pudori, vt qui ſis, pri⁹ exponas. Hym. Hymenæus ſũ, magnus ille nuptiarũ præſes. Lach. Cõcedas igitur aliò, noſtro honori inſeruiens. Nõ enim vulgi hic conuiuium ſtrepitu atque inſanis ſaltationibus redundans agitur, ſed clariſſimorũ virorum lectiſſimus hic aſſidet cœtus. Magnus hic. Iac. Minutius, venerãdus hic præſul Io. Pinus, duo maxima nõn ſolũ Galliæ, ſed orbis vniuerſi ornamẽta: clarus hic eſt Io. Dillierius, ſummus Toloſanæ ſcholæ antiſtes, excellens hic Io. A Boyſſone, inſignis iuſtitiæ cultor Io. Sabonerius, doctiſſimus legum interpres Daphis, ornatiſſ. gymnaſiarcha An. A Barona: ſummus Muſarum cultor VVltæius: clariſſ. adoleſcẽtes & omnibus egregiis animi virtutibus præditi V. D. templi S. Petri de Fraga prior, Pet. Paul⁹ Caragoſſa, Raph. Ioan. Gilius: duo præterea nobiliſſimi adoleſcentes ad omnem eruditionis gloriam nati Martinus Snockart, & Daniel

Rockgeheym: quorum præclara naturæ indoles, præſtans animus, & vehemens quidã impetus ad optimarũ artiũ ſtudia amplectenda magno aliquando vniuerſæ Germaniæ futurus eſt ornamẽto. His ſocius additur pari animi virtute præditus Gregorius Pædaneus iurecõ. Sequitur illum Ioannes Arrierius inſigni pietate adoleſcens, cæteríq; permulti. Omnis hic actio, omnis ſermo de rebus amplectendis & fugiẽdis. Hym. Qui igitur magis tibi mulier, quã mihi intereſſe cõuiuio licet? aut quod tibi eſt nomẽ? La. Mihi? Lacheſis eſt. Hym. Hem quæſo Lacheſis huic te cõuiuio offerre audes? nec te pudet ſolidam horum lætitiã fuſo ſtamine conſpurcare? La. Ex vſu eſt hominũ, ſuum quenque fatum ex meo hoc ſtamine cognoſcere: quo monitus nec rebus ad voluptatẽ affluentibus inſoleſcat, nec deiiciatur aduerſis. Hym. Et idoneus hic German⁹ doctor videtur, cuius tam honeſtis ſtudiis partæ dignitati in ipſo veluti effloreſcentis fortunæ exordio ſuperbè illudas? La. Nolunt fata huius dignitatẽ malorũ eſſe expertẽ ne tãquã fumus leui excitatus flamma citiſſimè deflagrãs cõcidit, ſic eius gloria nullis iactata malis, ignobilis corruat. For-

tunæ hoc ſæuientis ludibrium eſt, vt florentibus ingeniis ſicut inuidia, ita malorum cõcurſatio facilius incumbat. Et ea eſt huius ſeculi portentoſa quędam libido, velle ſcilicet optimi cuiuſque exurgẽtem infringere virtutem. Hym. Eſto, laudis nobilitati ſuã tanquã corpori vmbrã adhæreſcere inuidiã: horúmne animos ægritudine aliqua ſuffundi oportuit? La. Elatior horum omniũ animi eſt magnitudo virtutis præſidio ſepta, quàm frãgi vt poſſit fatorũ recordatione. Quęnam res mœrorẽ illis adferre poſſit? qui ſi deſideriũ ſui ſpectẽt, aut quantũ Reip. adferant pręſidij, quandocunque moriẽtur, nunquã ſatis vixerunt. Si ad publicã rerum geſtarum gloriam animum referant, ſatis vixerunt vel ad gratiam, vel ad gloriam. Hym. Sed habendus fuerat delectus, ne quod dicitur, canis in balneo. La. vbique nos Parcæ noſtro functæ officio ex magnis malis gaudia, ex gaudiis mœrorem calamitatémque excitamus. Sic Diagoram in liberorum coronatione gaudio extinximus: ſic riſu Philemona, ſic immoderata lætitia Sophoclem, ſic Dionyſium in ſacris Olympicis ſuffocauimus. Hym. Quum igitur pluri-

mum interſit, quibus auſpiciis & vitam homines ingrediantur, & claudant, cur tam præcipites, Parcæ, eſtis vel in procreãdis, vel interimendis hominibus? vt qui labãtis Reip. decus excitare poſſint, ac prudentia vrbem regere, eorum vita ſit breuiſſima. Mihi enim æternitate ipſa nominis ac famæ, perpetuáque vita digniſſimi videntur, qui naturali quadam animi inductione ad optimarum rerum amplitudinem, vel virtutum omnium ſplendorem, ad vitę atque Reipublicæ dignitatem excitantur: quãdo eorum vita, qui ſic viuunt, nullam vt ſui commemorationem, nullum pręclari facti exẽplum poſteritati relinquant, morti eſt ſimillima. Neque enim conuenit, neque pium eſſe iudico, vt quorum admirabili naturę excellentia, dignitate illuſtri, prudentiæ denique altitudine res humanæ & propugnantur, & illuſtrantur, eorum momentanea ſit vita. Lacheſis. Fatorum neceſſitatem, cum deus ipſe ſis, mirari deſine, quæ ſicut feraciſſimis aruis maturam ſterilitatem, ita præſtantibus viris præcocem propoſuit ſenectutem. Magnarũ enim rerum, vt regũ fortunæ, diuturni ſucceſſus eſſe nõ poſſunt. Hym. Naſci igitur homines ad tã fluxã

& lubricam vitæ rationem nō oportuit: & veluti in theatrū illabi, vnū vel alterum humanę vitę actum ſpectaturos, vt inde ad primū reuocātis naturæ nutum egrediātur. La. Qui hac lege, vt moriātur, nati ſunt, ij fatorum neceſſitudinem ſi incuſent, nō minus ſūt ridiculi, quàm viator eò ſe puenire ægrè ferēs, ad quod ſemper ibat. Quid enim refert primus quis, aut ſecundus moriatur, quando illum plerique anteuerterūt, & ſubſecuturi ſunt omnes? Aut quod moriendi tempus expetendū homini putas? Adoleſcentiæ'ne? at ea iucūdiſſimę voluptatis eſt plena. An ſenectutis? ſed ea longa miſeria, magníſque malorū turbis paratur. Naturæ'ne? ſed hæc vſurā vitæ humanæ tāquā pecunię, vt ait ille, dedit nulla præſtituta die. Fata incuſabis? at ea qua dederunt conditione, vitā quum volūt repetūt. Hęc qui ſecū cogitāt, modeſtiore animo, quicquid humanitus accidit, ferūt: nec vnquā, vel cū naturæ ſtatu, vel fatorum pugnant arbitrio, ſed in rebus aduerſis perferendis, nō affectuum perturbatione, non vindictæ cupiditate, ſed naturæ moderatione atque ęquabilitate omnia definiūt. Quæ animi nullis affectibus pturbati magnitudo pręcipuè res aduerſas lenit, & ornat ſecūdas. Nam vt

prudentis eſt hominis, quæcunque accidere poſſint, ſecũ meditari: ita animi prę potentis, ſi quid aduerſi euenerit, fortiter ferre. Hym. Videre tuũ negotiũ facere, quæ exordientis vitæ ardua rudimenta, finẽ præcipitẽ ac luctuoſum eſſe volueris. La. Ago verò negotiũ meum, cũ humanæ vitæ ſtamen nendo deduco, quod Atropos ſoror mox ſit occatura. Hym. O igitur immanẽ naturę implacabilémque impietatẽ, quę ceruis, quæ colubris, quæ cornicib⁹, quorũ id nihil intererat, vitã diuturnã & magnarũ miſeriarũ expertẽ dedit: vni homini tã ſuperbo animali & orbi imperaturo exiguã præſcripſerit vitã, omnibus fortunæ inſidiis opportunã. La. Natura vitæ ſpatiũ exiguũ, gloriæ verò ampliſſimũ & ſempiternum homini dedit: hãc qui affectãt, cum omni poſteritate adęquabuntur, nec ſanè de vitæ huius miſeria vel breuitate valde cõqueruntur. Nam & eũ vitæ ſtatũ Pythagoras feliciſſimũ eſſe putauit, qui honeſtiſſimis ſtudiis, maximíſq; laboribus eſſet exercitatus: propterea quod paruã illã atque exiguã ſuſcepti in rebus præclarè agẽdis laboris moleſtiã, incredibilis quædã voluptas comitetur, nec vlla vera ac ſolida eximiæ virtutis laus, niſi magno ſtudio, multis ac infeſtis vitæ ca-

ſibus parari queat: quod etiã Homerici illius Vlyſsis exemplo ſatis probatur. Et nulli hodie clari nobilitatíque labores, nulla rerum geſtarum admiratio, nulla optimarum virtutum exẽpla extarent, ſi non hanc cogitationem veteres illi prudẽtiſsimi homines habuiſsẽt, vt ſibi perſuaderent, in vera laudis dignitate aſſequenda pertractatas res humanas animo habere oportere. Hæc eos animi inuicti magnitudo, & rectus quidam excœlſúſque poſteritatis ſẽſus ad labores, ad optimarũ rerũ ſtudia, ad gloriam conuertit. Hæc eos docuit domitas voluptates habere: nihil ex omni vita præter laudẽ & dignitatẽ expetere: omnes vitæ moleſtias in rebus pręclarè agendis leues ducere. Adeò enim vitæ humanæ nullũ præſtantes ſemper philoſophi habuerũt deſideriũ, vt etiã æternitatis amore nimio, mortẽ ante diẽ ſibi cõſcriuerint: vt õnes Cyrenaici philoſophi auditores, qui excepta de morte cõcione, õnes ſe laqueo ſuſpẽderũt, vt Ambroſiota philoſophus, qui è muro, cũ nihil ei aduerſi in õni vita accidiſſet, ĩ mare ſeſe pcipitauit. Hy. Pueriliũ deliramẽtorũ iſta quę dicis ſũt ſimilia. La. Eníuero tibi iſti⁹ fidẽ, ſi poſcis, fecero. Hy. Cupio, ſed paucis, ne cõuiuarũ lętitiã remoremur. La. Oſtẽdo mortẽ nẽ

eſſe vt vulgus putat, fugiendã, ſed etiam expetẽdã ei, qui benè à natura eſt cõſtitutus: propterea quòd & anteactæ vitæ præmiũ, & laborũ finẽ habeat. Hy. Quib⁹ quæſo hoc argumẽtis? La. De Aregia ſacerdote audiſtin? Hym. audiui. Lac. Ea precata deos, vt filiorum erga ſe pietati, quę maxima cõcedi hominib⁹ poſſit grã daretur, primũ dormientes ſuos liberos, pòſt etiam mortuos inuenit. Hym. Vereor ne nõ ſis vulgo perſuaſura, malum mortẽ nõ eſſe. La. Atqui idẽ Triphonio & Agamenidi euenit quib⁹ laboris mercedẽ ab Apolline, cui Delphis tẽplũ extruxerãt, petẽtib⁹ Apollo reſpõdiſſe fertur, quod optimum homini foret, ſe daturũ. atque tertio ſtatim die ex hac vita vtrũq; migraſſe cõſtat. Hym. Quid igitur in hoc vitę ludibrio & veluti vmbra expetẽdũ homini exiſtimas? La. Solã vitæ dignitatẽ ac gloriã nullo ſeculo intermoriturã Hym. rãtíne popularis laudis gratiolã facis, quã nõ vulgus modo, ſed etiã philoſophi cõtẽnunt? La. Quid ni? cũ ipſa virtus nullã aliã laboris mercedẽ præter hãc laudis ac glorię deſideret. Hym. Sed nimis magno gloria conſtat tot laborib⁹ ac vigiliis parta. La. Natura hanc legẽ induxit reb⁹ humanis, vt præſtãtia quę eſſent, eadẽ forẽt difficillima.

Sed tamē paruū hoc tędiū magnis eadē cōpenſauit bonis. Hym. Quibus quęſo? demonſtrari enim iſtud mihi cupio rerū harū imperito, & nihil pręter deorū cōuiuia ſolēniáq; ſacra ſecuto. La. vidéſne hoc ſtamē fuſo implicitū? Hym. Video iā dudū admirat⁹ quid myſterij occulti in his filis lateat. La. Singula ſingulorū vitā repræſentāt ac fata. Sed hoc gloriæ filū eſt perpetuò duraturū. Hym. Papæ, vt durū eſt atque intractabile. Sed tamē aliud ſtamē, quod duplici filo contextū eſt, magis miror. Cui⁹ dic mea Lacheſis fatū prædiuinat? La. Ia. Minutij, viri exiſtimatione, virtute, & præſtabili eruditione facilè principis. Hym. Cur autem filū duplex, cętera cū ſint ſimplicia? Lac. Quia hūc benigna rerū natura ad omnē laudis ſplendorē magnū atque excelſum produxit, vt eſſet, qui ægras, laborantes, ac defeſſas Reipublicæ partes ſingulari animi prudētia ad dec⁹ atque gloriā excitaret. Nemo enim multis iā ſeculis in florēti Rep. aliqua dignitatis laude inſignis fuit, cuius illuſtriora, quā hui⁹ Minutij, in Rēp. extēt officia. Hic ſuā Galliæ dignitatē, hic ſuā patriæ gloriā hic ſuū bonis literis portentoſa barbaria oppreſſis reſtituit honorē. Hym. Dignus ſanè eſt, cuius excellenti virtuti

felicitatis cõſtituatur æternitas. La. Sed noſtin Io. Pinũ prçſulẽ Riuẽſem? Hym. Qui ni noſſem, quo nemo familię nobilitate illuſtrior, nemo laudandarũ artiũ peritia clarior, nemo omni laudis genere iã diu præſtãtior extitit. La. Vt pinus arbor ſapientiſſimę deę tutela ſepta, nec ſæuiẽtiũ vi vẽtorũ conuelli, aut cõſumi vetuſtate facilè poteſt, ita eius fata tranquillã vitæ requiẽ, nominis verò ac laudis prædicationẽ nullo ſeculo intermoriturã ſpondẽt. Hym. Agnoſco ſanè lubẽs, atque etiã laudo tã piã fatorũ benignitatẽ, qua ſua viro de rebus humanis optimè merito referatur gratia. Nunc perge explicare cuius hoc, quod manibus cõtingo, filũ ſortẽ repræſentet fatalem? La. Ornatiſſimi viri Io. Sabonerij. Hym. Quid ita vulſum & vndique præciſum habet ſtamen? La. Quem nuper admirabilis excellentis naturæ bonitas, incredibilis morũ facilitas, inaudita quędã animi diſciplinis liberaliter inſtituti humanitas ad ſummos honores prouexit: cũ cæca ac furioſa quorũdã ambitio laudis alienæ inimica, deprimere eſt conata: exurgit tamen eius virtus, & inani aliorum inuidia quotidie magis ac magis efflorеſcit. Hym. Malè ſit iſtis, qui optimi viri præſtantem virtutẽ infrin-

gere ſtudent. at hoc ſtamē cuius eſt tam robuſtū ac validū? La. Magni illius Io. Dillierij Cācellarij. Hym. Cur ita robuſtū? an quæſo ei⁹ vita nūquā concidet? La. Cōcidet, ſed non niſi illuceſcente eo die, quū ei literarū dignitatē, patriæ gloriā, Reip. ornamētū, publicā trāquillitatē omnes boni cōgratulētur. eóque dij immortales firmū eius ſtamē eſſe voluerūt, ne in rebus præclarè agēdis vlla fatorū vi abrūpi poſſit. Hym. Laudo deorū prudētiā, cū eius lōgā eſſe voluerint vitā, cuius gloria ſcholæ Toloſanæ amplitudo illuſtratur. Hoc autē filū pertenue & molle cuius ſignificat fatū? LA. Clariſſimi illius Io. A. Boyſſone. Hym. Ehē quæſo tāti viri & ipſa immortalitate digniſſimi tā imbecillū ſtamen? LA. Non fert rerū natura, vt quæ inſigni excellentium virtutum admiratione cunctorū laudibus egregiè antecellāt, eorū humanitas eſſe diuturna queat. ſic præſtantiſſimarū rerū omniū tardior progreſſus, maturior verò & celerior exiſtit occaſus. Pariūt tardiſſimè elephāti, cōcidūt citiſſimè: & delicatiſſimū quodque vinū citiſſimè aceſcit. Frōdeſcūt roſæ ſerò, defragrāt maturè. Voluit ſcilicet natura, magnarū vt rerū ſicut raritas, ita volubilitas laudē admirationémque ex-

citaret. Sed huic tamẽ natura vitę honeſtũ & glorioſum, nominis verò ac famæ excurſum ſempiternũ dedit. Hym. Felicẽ igitur Boyſſoneũ, cuius fortunæ par dignitas, dignitati par gloria, gloriæ par admiratio deorũ benignitate obuenerit. La. Sed hoc ſtamẽ cernis? Hym. Quid quæſo tam variũ? nã qua parte colũ cõtigit, craſſiſſimũ eſt: extrema verò parte, lacerũ. La. Ne mireris, doctoris, Daphis eſt. Fortia enim eius facta & præclara in Remp. ſtudia magnũ nomen, magnam dignitatis prædicationẽ, magnã gloriã pepererũt: extrema hæc ætas paulatim ex hac vita in deorũ cõſortium, in quo eius reſidebit virtus, diffluit, atque vt vides dilabitur. Hym. Benè huius ſit ſenectuti, cuius tã honorifica fuit iuuẽt⁹. Sed illud minis quã admirabile eſt filũ. cui⁹ dic quæſo eſt? La. Optimi illius viri An. A Barona. Hym. Cur autẽ tã nodoſum, & gemmis veluti cõfixum? La. Vt vites nodoſę, inutile verò cęteris rebus lignũ, multis inſignitum gemmis, omniũ fructum præſtantiſſimum, alterãque homi- nis vitam producunt, ita hoc ſtamẽ eum produxit, qui primus Aquitanicam iuuentutem literis bonis ad humanitatem effingeret: primus adoleſcentiæ

infantiam eloquentiæ ſtudiis informaret primus deiectã ſuo loco literarum dignitatẽ ingenij ſui gloria in priſtinũ reſtitueret honorẽ. Vltimus eorũ, qui ad laudẽ eruditionis, fortunæ amplitudinẽ adiungerent. Hym. Enimuero fructuoſum hoc ſtamẽ fuit, & immortalitate dignũ. Sed deũ immortalẽ, quæ huius ſtaminis eſt proteruitas, quod tã latè ſe fundit, ſemper excreſcens? La. Vltæi eſt ingenioſiſſimi iuuenis, cuius naſcẽs ingenij gloria eò prorũpit, nullis vt orbis finibus cõtineatur. Hym. Caue igitur mea Lacheſis, ne magno orbis incommodo iſtud pręcidatur. Hoc cuius eſt obſcurũ, laceiũ, preſſum, multa in parte conuulſum? La. Germani huius doctoris. Hym. Quã ſignificationẽ habet? La. Vetãt fata myſteria ſua prophanari: & me aliò iam vocant ſorores. Qui vitã incolumẽ fortunámque petit ſempiternam, gloriæ ac laudis, non falſi honoris ac voluptatis ſtamen ſibi quærat. Hym. Ego quoque in eã iã ſum adductus ſentẽtiã, vt planè conſtituàm ſtudium ac vitæ iucunditatẽ in gloria ac laude eſſe ponendam.

FINIS.

*LOCI AC CAPITA RE-
rum explicantur, per ordinem alpha-
beticum digeſta.*

A

Actio & paſſio. 71.a
de Amplificationibus. 124.b
Applicita. 76.a
Apto dicendi genere 140.a
Argumentatio per ſubiectionem. 93.b
Arb. 4.a
Attentio. 36.b

C

Collectio. 90.a
Compara. 78.b
de Compoſitione 134.a
Confirmatio 41.a.b
Confirmatio. 26.a
Confirmatio 29.a
Confutatio 95.a
Confutatio 32.a
Confutatio 27.a
Coniugata. 65.a
Connexa. 77.a
Contradicentia 81.b
Contraria 81.a
Conuerſio. 87.a

D

Depulſio. 9.a
Degreſſio. 40.a
Diſparata. 82.a
de Diſpoſitione. 103.a
Diuiſio. 63.b
Docilitas. 37.a

E

Etymologia. 77.b
de Exemplis. 82.b
de Exemplo. 91.b
Exercitatio. 4.a
Exordium. 22.b
Exordium. 33.b

F

Fabulæ. 83.a
Facultas. 78.a
Fama & Rumor. 46.b
Figuræ verborum. 119 b
Figuræ ſententiarum. a.122.a
de Fine orationis. 137.b
de Finita quæſtione. 14.a

G

Generibus tribus dicendi. 138.b
Genus demonſtratiuum à quibus ſit profectum. 14.b
Genus iudiciale, 32.b
Genus. 58.a

I

de Initio. 137.a
Intentio. 8.a
Iudiciale genus. 32.a
Inductio. 91.a
de Iureiurando. 51.a
Iunctura. 135.a

L

Loci coniecturales. 106.b.107.a

M

de Media ſententia. 137.b
de Memoria quarta orationis parte. 141.b

N

Narratio. 26.a
Narratio. 38.a

O

Oppoſitio. 86.b
de Ornatu. 114.b

P

Partitio. 40.b
Peroratio. 25.a
Peroratio. 21.b
Peroratio. 27.a
de Prædicamentis. 66.a
Priuantia. 81.b
de Probatione artificiali. 56.a
Præiudicium. 44.a
de Pronunciatione. 144.a
Propoſitio. 29.a
Propoſitio & partitio. 40.b
Proprium. 62.b

Q

Qualitas. 69.a

R

Repugnatia. 80.b
Rethorice quid. 3.a

S

de Scripto & voluntate. 109.b
Similia. 79.b
Status genus demonſtratiui. 22.a
Statu 22.a
Syllogiſmus. 111.a

T

Tempus. 76.b
de Tormentis. 46.b
Totum & partes. 64.a
de Tropis. 115.b

V

Violatio. 94.b
de Vſu eloquentiæ. 2.a

INDEX RERVRVM SECVNDVM ORDINEM ALphabeti digeſtus, vt eorum, quæ in hoc libro vniuerſo continentur, facilis ſit inuentio.

A, paginam priorem: B, poſteriorem denotat.

A

Actionis partes. 144.b
Adiacentium loci. 68.b
ab Aduerſarij perſona captatur beneuolentia 35.b
Æſypliorum inſtitutum 15.b
Ænigma quid. 117.b
Ætas 58.b
Ætatis gradus. 19.b.20.a
Ætatis gradus ſeu loci perſonarum. 19.b
de Affectibus qui ſcripſerunt. 100.a.
in Affectibus mouendis quid obſeruãdum. 99.a
Affectus plurimum valent genere deliberatiuo. 27.b
Affectus duplices 99.b
Ætiologia. 128.a
Allegoria. 117.b
Ambigui ſtatus. 112.a

Amplificandi pars prima. 125.b
Amplificare, eloquentiæ munus eſt maximum. 124.b
Amplificatio propria generis demonſtratiui. 21.a
Amplificatio generis demõſtratiui pars 15.a
Amplificationis partes. 126.a
Amplificationis loci petuntur, &c. 16.a
Ἀναγκαῖον. 128.a
Animi bona. 18.b
Antanaclaſis. 122.a
Antecedentia & conſequentia. 75.a
ab Antecedentibus ad ſequentia argumentatio. 75.b
Ἀντιπόφορα. 130.b
Antiphraſis. 118.a
Antomaſia. 116.b
Aporia. 123.b
Ἀπόφασις. 121.b
Apoſiopeſis. 122.a
Apoſtrophe. 124.a
Ἀρεία. 123.b
Argumenta rerum male à dialecticis negliguntur. 57.b
Argumenta aduerſarij animo tenenda. 97.a
Argumenta alia rerum, alia perſonarum 57.b

Argumenta rerum communia ſunt rhetori & dialectico. 60.a
Argumentatio quomodo à dialectica tractata. 85.a
Argumentatio pars omnium neceſſaria & difficillima. 84.b
Argumentationes Rhetoricæ. 83.a
Argumenrationis natura. 93.b
de Argumentis. 57.a
Artificialis probationis partes. 56.a
Artium cognatio. 43.a
Artium,aliæ ſunt cognitionis actionis aliæ,verò mediæ. 67.a
Aſſumptiua qualitas,quæ. 12.a
Aſtiſmes. 118.b
Aſyndeton. 121.a
Attentio quibus rebus concilietur. 36.b
Authoritas præcipuè in conſiliis valet 28.a

B

Benedicendi rationem qui ſpernit ,non hominis ſed pecudis nomẽ habet. 2.a
Beneuolentię conciliatio ab officiis perſonarum. 34.b
Beneuolentia captatur etiam à iudicis perſona. 35.b
Bona animi. 18.b

C

Catachreſis. 117.a

Cauſarum & euentorum locus. 72.a
Cauſarum tria genera. 14.a
Cauſarum genera,quatuor,efficiés, materia,forma,& finis 73.74.a.b
pro Cauſarum varietate numerus teſtium augetur. 55.b
Cauſarum efficientiũ varia genera. 73.a
Cauſarum genera. 33.b
Chryſippus Stoicus author ſyllogiſmi, qui Acerualis dicitur. 93.a
Claſſes cathegoriæ ſubſtantiæ. 67.68.a
Compoſitio generis rudicialis. 33. a
Gompoſitio quibus conſtet. 135.a
Complexio. 120.b
Charientiſmos. 118.a
Collocationis vis in omnibus rebus maxima. 103.a
Color rebus deformibus dandus. 31.b
Commendatio officiorum vide. 55.a
Commutatio. 129.a
in Comœdia quæ deſcribantur. 100.a
Commotio animi. 59.b
Communicatio. 123.a
Communicatio. 129.b
Comparatio. 126.b
Comparatio & amplificatio propriè generis demonſtratiui partes. 15.a
Complexio,quid. 92.a
de Complexione 92.a

Compoſitio generis deliberatiui 27.b
Compoſitio in genere demonſtratiuo qualis eſſe debeat. 15.a
Compoſitio qualis eſſe debeat. 140.a
Compoſitionis vtilitas. 134.a
Conceſſio. 130.a
Cõceſſio peccati diuiditur in excuſationem & deprecationem. 12.a.b
Conciliatio beneuolentiæ. 34.a
Congeries. 127.a
Confirmationis loci generis deliberatiui. 30.a
Coniecturales loci. 106.b.107.a
Coniugata definiuntur. 65.a
à Conſequentibus ad antecedentia argumentatio. 75 b
Conſtitutiones omnes in genus deliberatiuum incidunt. 28.a
in Conſultationibus quid obſeruare debeamus. 31.a
Contentio. 129.a
Contentionis nomine, confirmatio cõplectitur. 23.a
Cathegoriarium propoſitionum prima diuiſio. 86,a
Contingens propoſitio. 86.
Contrariorum definitio. 81.a
Conuerſio. 120.
Καταστροφὴ. 105.b

Criminis remiſſio quibus commendatur. 13.a
Criminis eleuatio & tranſlatio. 95.b

D

Damna mentis affecta. 97.b
Definitio. 60.b
Definitio quid. 60.b
Definitionis vis. 108.b
Definitio quando deſtruitur. 61.b
Definitio oratori qualis conueniat. 61.a
Definitionum genera. 60.b
Delectare quid. 5.a
Deliberatio ferè caret narratione. 29.a
Deliberatio quid. 30.b
Demonſtratiuum genus. 14.b
Demoſthenis iudicium de pronunciatione. 144.b
διαδικασία altercatio. 97.a
Dialectica à Rhetorica differt. 84.a
Dialecticæ partes tres. 84.a
Dialecticæ cum Rhetorica cognatio. 89.a
Dialecticæ vtilitas ex Platone. 85.a
Dialogi quã habeãt diſpoſitionẽ 105.b
Dicendi genus robuſtum. 139.a
Dicendi genera. 138.b
Differentia definitur. 62.b

Differentia à proprio diſcrimen. 63 a
Dignitas perſonarum pręcipuam habet beneuolentia cõmẽdationem. 34. a. b
Digreſſionis vſus. 40.b
Diſpoſitio quid & quotuplex. 104 a
Diſſimulatio eloquentiæ vtilis. 35.b
Diſtributio. 131 a
Diuiſio quid faciat ad memoriam. 143.a
Diuiſio artis triplex. 105 b
Diuiſio repugnantium. 80.b
Diuiſionis definitio. 64.a.
Docilitas vnde ſumatur. 37. a
Dotes fortunæ. 17.a

E

Educatio. 58.b
Elocutio. 112.b
Elocutio quotuplex. 113.a
Elocutio omnium partium pulcherrima & vtiliſſima. 112.b
Elocutionis partes. 113 b
Eloquentia quantam delectationem & vtilitatem adferat. 3.a
Eloquentiæ vis, atque facultas, quanta. 2.b
Eloquentiæ partes, duæ. 133.b
Eloquentia admirabilis quæ ſit. 135.a

Eloquentiæ vis in affectibus continetur. 99.b
Eius primum omnium eſſe, & diuidi in ſubſtantiam & accidens. 67.a
Enthymema. 90.a
Enthymema rethoricum. 91.a
Enthymematis partes. 90.a
Ennumeratio quid à ſubiectione differat. 94.a
Ennumeratio definitur. 64.a
de Enumeratione. 92.b
Enumerationis definitio. 92.b
Επιχείρημα ſeu ratiocinatio argumentationum omnium perfectiſſima. 89.b
Epiphonema. 142.b
Epiphonema. 133.a
Επίτασις. 105.b
Eraſmi ſimilitudines. 80.a
Ερώτημα. 122.b
Euenta cauſarum impulſu eueniunt. 74 b
Exceptio quid 9.b
Exclamatio, 125.b
Exempla obliuionis. 142.b
Exemplorum vſus. 31.a
Exemplum vnde naſcitur. 91.b
Exercitationis commoda. 143.b
Exordij modus. 37.b
Exordia libera. 37.b

Exordium quale eſſe debeat in delibe-
rationibus. 28.b
Exordiorum vitia. 37.b
Exordium generis demonſtratiui fac-
torum vnde dicatur. 22.b
Exordium tribus locis conſtat. 34.a
Exordium quibus commendetur. 34.a
Expolitio. 127.a

F

Facetæ in mouendis affectibus vtiles. 100.101.a
Faceriis in genere demonſtratiuo vten-
dum. 31.b
Facti ſuſpicionem quæ arguant. 107.a
Facultas benedicendi quam magnifica
ſit & neceſſaria. 2.b
Facultas orandi, diuinum beneficium. 1.a
Fides quæſtioni nō eſt adhibenda. 47.a
Fides probationum in omnibus cauſis
non eadem eſt. 42.a
Fides patrocinij præcipue. 97.b
Fides inimicorum quæſtioni non eſt
adhibenda. 47.b
Figuræ verborum multæ. 120.a
de Figuris. 119.a
Figurarum diuiſio. 119.a

Finis generis deliberatiui. 27.b
Finis quid. 74 b
Finitionis loci. 108.a
Firmamentum, quid. 9.a
Forma quid. 74.a
Fortuna. 59.a
Fortunæ dotes. 17.a
Frons iudex eſt quorundam hominum natura. 57.a
Frugalitatis bona. 26.a

G

Genera definitionis. 60.b 61.a
in Genere demonſtratiuo quid ſpectã-dum. 15.b
de Generibus ſententiarum. 132.a
Generis deliberatiui partes. 28.b
Generis definitio. 61.b
Generis demonſtratiui rerum, partes. 25.b
Generis demõſtratiui qualis debet eſſe tractatio. 25.a
Generis demõſtratiui factorum partes 22.a
Generis iudicialis difficultas. 32 b
Generis deliberatiui exempla propria. 31.a
Genus deliberatiuum. 27.a

Genus demonſtratiuum ἐπιδεικτικὸν triplex. 16.a
Genus demonſtratiuum duplex. 16.a
Genus demonſtratiuum rerum. 25.a
Genus demonſtratiuum factorum. 22.a
Gradatio. 128.a
Gradus ætatis. 19.b 20.a
Γνώμη. 35.a

H

Habitus. 59.a
Habitus, animi ſunt, aut corporis. 69.a
Hiſtoriæ diſpoſitio. 104 b
Homœomoſis. 118.b
Honeſtas vtilitati præferenda. 141.a
Honeſtum vnde. 23 b
Humile genus dicendi. 139.a
Hyperbole. 117.b

I

Imago. 139.b
Imitatio neceſſaria. 139.b
Impulſio quid. 107.b
Incrementium. 126.a
Inficiatio tutiſſima, confeſſio periculis plena. 95.a b

Intellectus. 70.b
Inſinuationis loci. 36.b
Inuentio partium maximè neceſſaria. 43.b
Inuentionis vis omnis in locis eſt poſita. 43.b
Inuentionis vſus maxime neceſſarius. 43.b
Inuerſio. 129.b
Ioci materiam præbentia. 102.b
Iocus in quibus verſetur. 102.a
Ισοκολον. 120.b
Ironia. 118.a
in Iunctura quæ vitanda. 135.b
Iuriſiurandi religio expiandarum litium, maximum eſt remedium 51.a
Iuſiurandum, qui deferre non poſſunt 53.a
Iuſiurandum triplex voluntarium, Iudiciale, & neceſſarium. 51.a b
Inſtrumenta priuata quæ. 50.a
Iuſtum continetur, natura & conſtitutione. 11.b

L

Latinitatis vicia. 113.b
Laudatio frigida eſt inciuilis. 15.b 16.a
Laus matronarum Romanarum. 14.b

Licentia. 124.a
in Literis non eſſe deſperandum. 4.a
Loci communes. 132.a
Loci ſcripti & voluntatis. 109.b
Loci qualitatis. 109 a
Loci contrariarum legum. 108.b
Loci contrariarum legum. 110.b
Loci amplificationis à quibus petuntur 16.a
Loci qui circa ſubſtantiam ſunt. 65.b
Loci in diſſuadendo contrarii ſunt. 24.b
Loci adiacentium. 68.b
Loci quæ dicantur. 43.b
Locorum vtilitas. 44.a
Locorum communium vis atque diuiſio. 132.a
Locus cauſarum & euentorum. 72.a

M

Materia, quid 74.a
Medici quando primum admiſſi. 51.a
Memoria puerorum exercenda. 144.a
Memoria qui præſtiterunt. 143.a
Memoria eloquentiæ theſaurus. 142.a
Memoriç commoda 142.a
Memoriæ virtus, duplex. 142.a b.
Metaphora, quid. 115.b
Metonymia. 116.b

Metus interdum in deliberationibus adhibendus. 31.b
Mimeſis. 118.a
Miſericordiam quæ excitent. 99.a
Moderationem ſeruire in poteſtate maxima rerum omnium, difficillimam. 18.a
Momenta rerum maxima in narratione 38.a
Mouere quid. 5.a
Mores præcipuam faciunt fidem. 5.b
Myčteuſmos. 118.b

N

Narratio breuis fit quando,& c. 39.
Narratio credibilis quomodo fiat. 39.a
Narratio quid. 16.b
in Narratione quæ ſpectanda. 39.b
Narrationis tamen eſſe debere, quo ſtatus cauſæ eliciatur. 39.40.a
Narrationis vitia. 40.a
Narrationis virtutes. 38.b
Natio. 58 a
Neceſſarium iuſiurandum. 52 b
Noëma. 133.a
Nomina duplicia ab accidentibus naſci, abſtracta ſcilicet & conceta. 67.b
Numeri generis demonſtratiui. 138.a

Numerorum perfectio in quibus iudicatur. 137.b
Numerus. 136.a

O

Obliuionis exempla. 142.b
Obſcuritatis vicia. 114.b
Occupatio. 130.a
Oculis humanæ mentis imago tanquã tacitus animi ſenſus exprimitur. 57.a
Oeconomia comœdiarum. 105.a
Officiorum commendatio vnde. 35.a
Onomatopeia. 117.a
Oppoſitionum ſpecies. 87.a
Orationem exornantia, quæ. 122.b
Oratoris profeſſio in quibus verſetur. 5.a.b
Oratoris officia tria. 5.a
Oratorum ordo. 106.a
Ordo à medicis ſeruatur. 105.b
Ορισμος. 130.b
Ornatus quibus commendatur. 115.a
Otium cum virtute. 18.a

P

Paradoxon. 125.a
Παραδιαστολή. 130.a

Paronomaſia. 120.b
Paræma. 118.b
Parentheſis. 131.b
Partes dialecticæ, tres. 84.b
Partitionis definitio. 41.a b.
Partium multiplex ratio. 64.b
Peccatum excuſatur aut ignorantia, aut fortuna. 12.b
Peroratio conſtat enumeratione & affectibus. 25.a
Peroratio qualis eſſe debeat. 98.a
Perſonarum dignitas præcipuam beneuolentiæ habet commendationem. 34.a
Perſonarum argumenta. 57.b
Ploce. 120.b
Polyſyndeton. 121.a
Potentia naturalis eſt facultas à natura data ad aliquid faciendum 7.69.70.a
Poteſtas multorum ingenia ſubuertit. 18.a
in Prædicamentis tradendis quid effugiendum. 66.b
Prædicamentium quid. 66.a
Præcepta vituperandi, vnde. 21.a
Præceptio vtilis. 138.a
Prætentio. 124.a
Probationis artificialis partes. 56.a
Probationis vis maxima à teſtibus pe-

titur. 53.a
Probationũ alia artificialis, alia inartificialis. 42.b
Propoſitio narrationis vice fungens. 22.b
Profeſſio oratoris in quibus verſetur. 5.a b
Propoſitio duplex. 85.
Propoſitio neceſſaria. 85.b
de Propoſitione. 2.b
Propoſitiones, aliæ ſunt contrariæ, ſubcontrariæ & ſubcontradictoriæ ſubalternæ. 87.a
Propoſitionis partes. 87 b
Propoſitionis partes. 85.b
Propoſitionum categoriarum ſecunda diuiſio. 86.a tertia ibidem.b
Proprij & differentiæ diſcrimen. 63.a
Proprium definitur. 63.a
Proſopopæia. 131.b
Proſopeiæ in omnes materias cadunt. 31.b 32.a
Προτασις. 105.a

Q

Qualitatis aſſumptiuæ, loci tres. 12.a
Qualitatis loci. 109.a
Qualitatis diuiſio. 69.a

Quantitas duplex, diſcreta, & continua. 68.b
Quæ nam adferant præcipuam virtutis opinionem, & ingenij laudem. 140.b
Quæſtio duplex. Αὐτοῖς καὶ ὑποθέσεις. 5.b
Quæſtio finita. 14.a
Quæſtionibus minime fides adhibenda 47.a
Quæſtionum vſus. 6.b

R

Ratiocinatio. 126.b
Ratiocinatio. 108.a
Ratiocinationis partes. 89.b
Regulæ in colligendis ſyllogiſmis obſeruandæ. 88.a
Reiectio. 129.b
Relatiua προσπρὸς τὶ appellat Ariſtoteles 81.a
Remotio criminis quid. 13.a
Repetitio. 120.a
Repugnantium vſus. 80.b
Rerum argumenta malè à dialecticis negliguntur. 57.b
Res iudicata dolore malo commiſſo oppugnatur. 46.a
Rethoricæ quibus conſumetur. 3.a.b
Rhetoricæ cum dialectica cognatio.

89.a
Rhetorices & dialecticæ diſcrimen. 84.a
Rhetoricum Enthymema. 91.a
Riſum mouentia. 102.b

S

Sarcaſmos. 118.a
Senectutis veneratio & contemptio. 15.b
Sententia quid. 131.b
Sententiæ vnde ducantur. 132.b
Sententiæ illuſtrantes elocutionis venuſtatem. 132.a
Sententiæ. 18.a
Sermocinatio. 131.b
Sexus. 58.b
Signa magnam exiſtimandi materiam præbent. 57.a
Signa ſingula parum mouent, coniuncta maxime mouent. 56.b
Signa artificialis probationis, alia neceſſaria, alia non neceſſaria. 56.a
Signa τεκμήρια. 56.a
Signa. 108.a
Similiter cadens. 121.b
Similiter deſinens. ibid.
Similitudo eſt in diuerſis cauſis vel re-

bus vna & quaſi eadem ratio & qualitas. 79.b
Socratica ſententia. 25.a
Sorites. 93.a
Species definitur. 62.a
Spes vincendi tota poſita eſt in probationibus. 42.b
Status vnde naſcuntur. 8.a
Status quot. 7.b
Status & finis generis iudicialis. 33.a
Status ambigui. 112.a
Studia. 59.b
Similitudines ad probandũm infirmæ. 80.a
de Subſtantia. 66.b
Subſtantiæ definitio. 67.a
Subſtantię diuiſio. 67.a
Subſtantiæ cathegoriæ claſſes. 67.68.a
Syllogiſmi partes. 85.b
Syllogiſmorum tres eſſe figuras, ſeu potius genera. 88.b
Syllogiſmi partes. 87.b
Syllogiſmus acerualis Sorites. 93.a
Synecdoche. 116.b
Synonyma. 127.a
Συνωνυμία? Σωσυζυγμένον. 122.a

T

de Tabulis ſine inſtrumentis. 49.a
Ταπείνωσις. 125.b

Temperatum dicendi genus. 139.b
Temporaria ſine τὰ πάθη, quæ. 70.a
Teſtes quomodo aduerſus publicum inſtrumentum admittantur. 49 b
Teſtes quot produci poſſunt, à multis quæritur. 55.a
de Teſtibus. 53.a
Teſtibus quandò non adhibenda fides. 53 b 54.a
Teſtimonium dicere qui non ſunt cogendi. 54.b
Totus & partium multiplex ratio. 64.b
Traductio. 120.b
Tragædiarium ordo. 105.b
Tranſlatio. 128.b
Tranſitio. 131.b
Tranſumptio. 116.a
Tropi multiplices. 115.b 116.a

V

Venæ ſectio vnde accepta. 3.b
Vitia latinitatis. 113.b
Violatio eſt argumẽtatio qua & c. 64.b
Virtuti ſoli laus debetur. 18.b
Virtus. 19.a
Vis Ciceronis in affectibus mouendis incredibilis. 100 a
Vis elocutionis maxima. 113.a

Vituperandi præcepta vnde. 21.a
Vituperandi pręcepta. 21.b
Vitiorum quędam cum virtutibus cognatio. 23.b
Voluptas turpitudinis illecebra 23.b
Vox vſu fit ſuauior. 144.b
Vſus coniugatorum. 65.b
Vſus exemplorum. 83.a
Vſus definitionis vſus. 60.b
Vſus generis demonſtratiui. 14.b
Vſus generis deliberatiui. 27.a
Vſus proprij. 63.a
Vtilitas dialectica, ex Platone. 83.a
Vtilitas in quibus ſpectetur. 30.b
Vtilitas. 24.b
Vtilitas quę ex apto dicendi genere petatur. 140.a
Vtilitas compoſitionis. 134.a
Vtilitatis ſpecie nos fallimur. 29.b

FINIS.

493896